O P E R I S
IINERALIS

PARS TERTIA,

IN QUA

ılo Commentarii in libellum Paracelſi Cœ-
'hiloſophorum ſive Liber Vexationum dictum, Me-
ım tranſmutationes in genere docentur, cum Appendice ſpe-
lem earum proceſſum, ut & eorundem eliquationem, ex-
plorationem, ſeparationem, aliaſque neceſſarias
operationes demonſtrante.

In Veritatis teſtimonium conſcripta & publici juris facta

A

JOANNE RUDOLPHO
GLAUBERO.

In Latinum idioma ex Germanico converſa.

AMSTELODAMI,
ınt apud JOANNEM JANSSONIUM.

CIƆ IƆC LII.

1 ter

PRÆFATIO

CVR ego hac tertia Parte librum
Paracelſi Cælum Philoſophorum di-
ctum explicandum ſumſerim, latere
te nolui, benevole Lector, ne me
teria deſtitutum crederes ſcribendi, ſi non
orum ſcriptis meum librum augerem:
d hic boni ſcribere inſtitui, vel abſque Pa-
elſicorum librorum admiſtione facere po-
ſſem, verùm hæc propriè cauſa, quia Para-
ſus ſuperiori ſeculo complures elegantiſſi-
libros communi commodo publicavit, ſed
s obſcuros, & ob hoc ab imperitis falſos ha-
s & contemtos, ſed quia arcanis referta
itò maximi faciendos. In quibus poſt-
m veritatem deprehendi, ægerrimè tali
ſtros de hoc viro ſermones, quaſi omnium
m rudi, & vagabundo, cui in genuina
oſophia, Medicina & Alchymia pauci
ales fuerunt. Quin eo res devenit, ut
vus Medicinæ ſtudioſus, ſtrenuus aliàs
tatis ſectator, eam ex ſcriptis ipſius inve-
turus, ſe illis delectari indicinam facere
audeat, verum propter malevolos iſtis
s volens abſtinere, cumque majori tur-
tenebris hærere cogatur; dubium vero
ſt, quin lumen olim nobis à Paracelſo ac-

cenſum bonorum ſcriptis renovatum à multis amabitur. Hanc ob cauſam exiguum juxta atque difficilem tractatulum, cœlum puto Philoſophorum explicandum ſuſcepi; nihil quam veritatem & abſtruſam mentem in eo reconditam oſtenſurus, quo oſores ejus vel inviti eum ſuperſtitem magiſtrum ſuum fuiſſe & futurum eſſe agnoſcant. Quo facto multos palinodiam cantaturos, veritati diu oppugnatæ palmas daturos, multoſque lites conſopitum iri confido.

Cur præſtantis Viri famam, omni laude digniſſimi, periclitari ſinemus? ſcripta ſua non niſi ad Dei gloriam, proximique emolumentum edentis; lucrum utique, ut calumniantur, ex aliorum per ſcripta ipſius ſeductis incommodis nequaquam quæſitum ivit, neque, quod inimici ipſius factitare ſolent, ideo Medicinæ dedit operam ut ex ægris rem faceret, ſed quicquid fecit, bono animo fecit, abſque mercede, quam nec accepit nec opus habuit, artibus ſuis ipſi abſque aliorum detrimento abundè ſufficientibus. Cunctis præſertim inopibus multa præſtitit beneficia, cujus teſtimonia paſſim exſtant, inter alia Epitaphium, quod Salisburgi in Xenodochio S. Sebaſtiano Sacro, ubi ſepultus & cui bona ſua legavit, capitalibus literis marmori inciſum &

in muro erectum videre eſt,cujus ipſe tenorem ſic ſonantem legi: Conditur hic Philippus Aureolus Paracelſus, inſignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropiſim aliaque inſanabilia corporis contagia, mirifica arte ſuſtulit, & bona ſua in pauperes eroganda, collocandaque honoravit. Anno Domini 1541. die 24. Septembris vitam cum morte mutavit.

Quid tu jam dicis? niſi ipſe talis fuiſſet, qualis in Epitaphio prædicatur, Magiſtratus eum tam inſigni encomio non honoraſſet. Quinimo omnes prudentes veritatis amatores neminem ei unquam parem fuiſſe etiamnum credunt. Quod vero indoctorum quorundam invidia contemtim habetur, ipſi nihil derogat, ipſe enim manebit Paracelſus, & hi imperiti convitiatores; ſuam tantum impudentiam prodentes, ſeque ipſi proſtituentes, juxta vetus proverbium Ars non habet oſorem niſi ignorantem. *Ego paucula ſaltem ſcripſi, & ab invidis vel clanculum infeſtor, ille vero quia erroribus tam ſtrenuè obviam ivit, quomodo immunis eſſe poterat? corrupti hæc eſt mundi conſuetudo, boni conſulenda, quod ipſe Salvator Phariſæorum errores perſtringens idem eſt expertus, quem ad mortem*

uſque capitali odio perſequebantur. Ideo qui mundo placere ſtudet, curvum rectum eſſe credat, nihilque non approbet oportet, alias ubique rejicitur. Cumque bonus noſter Paracelſus hactenus tam acerba paſſus ſit, nemine ſugillatoribus iſtis os obthurare audente, ego præcipuos ipſius libros explicando & illuſtrando, nec mendacem, nec impoſtorem, ſed veracem in Naturæ lumine experientiſſimum fuiſſe, facto cum hoc Philoſophorum Cœlo initio aggrediar: non verò evincam eum Auri Argentique cumulos conficere potuiſſe, qua de re ipſe nihil tractat, ſed ſolam rei poſſibilitatem demonſtrat, quam & ego oſtendere conabor; licet, magni operis ignarus neque etiam adeo cupidus, contentus verum à falſo poſſe diſcernere, increduloſque convincere: ſperans datâ hoc noſtro ſcripto aliis fideli inveſtigandi atque optatam metam contingendi occaſione, perdite miſereque devaſtatæ noſtræ Germaniæ magnum inde commodum obventurum, cui cœpto ut ad ipſius Gloriam multorumque bonum incipiam & abſolvam, benignus Deus clementer adeſſe dignetur. Amen.

COELUM

COELUM PHILOSOPHORUM
ſive
LIBER VEXATIONUM
PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI.

Ars & Natura Alchymiæ quidque de ea ſentiendum Comprehenſa 7. indubitatis regulis 7. vulgaria metalla reſpicientibus cum Præfatione, nonnulliſque aliis rebus adornata.

Præfatio Theophraſti Paracelſi ad omnes Alchymiſtas & Lectores hujus libelli.

Ilecti & experti artis Alchymiſticæ, voſque omnes qui multis pollicitationibus diteſcere cupitis, multi auri argentique confectione, quod Alchymia ubertim docet & promittit, quique hiſce rebus occupati vexari vultis, nec ceſſare parati donec quid det, quidque promiſſorum præſtet experiamini; uti quotidiana experientia docet ex millibus ne unum quidem voti compotem evadere; quod vero Artis vel Naturæ ſit culpa, non dixerim, ſed imperitiæ artificis. Quapropter hunc libellum Alchymiæ non referciam, quod Alchymiſtarum vulgus ſolet, difficili arte & prolixis laboribus. (Recip. Antimonium liqueſcat cum nitro & tartaro : hujus lotonem 1. Auri lot. 1. ſtanni 3. drachmas. Schlich

 drachm.

drachm. j. Sulphuris 2. lot. Vitrioli 2. lot. cum Argento in catino cum Arſenico fluant.) Quia etiam omnia ſigna cœli, ſiderumque & Planetarum Characteres, cum commutatis & inverſis eorundem vocibus nominibuſque, receptus quoque materiæ & inſtrumenta artificum vulgo notiſſima ſunt, non opus erit huic libello eadem denuo proferre & inculcare, quamvis horum ſignorum, nominum, characterumque uſu ſibi non interdicit, cùm commodum videbitur.

Hic vero alia Alchymiæ traditur ratio ſeptem regulis 7. metallis infallibili & naturali modo accommodatis, licet verbis minime phaleratis, ſed incultis ac ſimplicibus: ſed ſenſu, quantum fieri poteſt, abſtruſis & profundis; quæ jure ſunt magiſtræ & ſumma totius Alchymiæ, ex quibus & aliarum rerum myſteria proferri, divinari & cognoſci poſſunt, cum multis novis ſpeculationibus, unde novæ cogitationes & mirabiles operationes examinando in publicum prodeunt, ut multis in locis Philoſophorum placitis contradicere, ipſo etiam examine reperiantur.

Nihil etiam in hac arte certius eſt, quam quod minime deprehenditur & creditur: hæcque unica eſt culpa & cauſa omnium operationum in Alchymia, unde multi ſua ſe perditum eunt imperitia in caſſum laborantes; vel quia plus eſt materiæ, vel minus, vel æquale pondus, unde res in operatione magis corrumpitur & deſtruitur, vel ſi res acu tangitur, magis exaltatur & ad perfectionem anhelat. Via enim facillima eſt, ſed à pauciſſimis invenitur. Fit etiam, ut ingenioſus homo artem ac rationem quandam Alchymiſticam excogitet, ſive Aliquid ſive Nihil conficiat. Nihil debet conficere, ut Aliquid in Nihil redigat, iterumque

rumque

rumque Aliquid ex Nihilo generetur, eſtque incredibile, ſed veriſſimum dictum.

Corruptio facit Bonum perfectum: bonum præ ſuo occultatore apparere nequit: eſtque etiam bonum inchoatum dum abſconditur. Occultator avelli perdique debet, tunc bonum liberatum in ſua claritate manifeſtè comparebit. Gloſſa: Occultator eſt Mons, arena, terra, vel lapis in quo metallum naſcebatur; unumquodque vero metallum viſibile eſt occultator reliquorum 6. metallorum.

Quia igitur Elemento ignis imperfectæ res corrumpuntur, comburuntur & ſuſtolluntur, quales ſunt 5. metalla, Mars, Iupiter, Mercurius, Venus, Saturnus, perfecta vero minime, nempe 2. nobiliſſima, Sol & Luna, idcirco etiam in igne permanere debent, eque cæteris imperfectis, in quibus deſtructa ſunt, corpus ſuum aſſumere, & viſibiliter apparere. Quod quomodo & quibus adminiculis fiat, in 7. regulis docebitur cujus ſcil. unumquodque metallum ſit naturæ & proprietatis, quid cum aliis mistum in operatione habeat & valeat.

Sciendum quoque 7. haſce regulas prima lectione & intuitu ab hebetiore non protinus intelligi, debilis intellectus res arduas non fert, hinc multa quævis regula indiget indagine. Sunt & inflati ſuperbique, probe ſeſe ſcire putantes, res eſſe nauci, quæ hic traduntur ſeque longe ſcire meliora, hacque mea plane contemnunt.

HÆC Præfatio per ſe clara eſt & perſpicua; nulla egens ſingulari explicatione; contra vero Proceſſus iſte cujus mentionem facit, eo accuratiori indiget.

Recipe. Antimonium, fluat cum Nitro & Tartaro: hujus recipe 1. lotonem. Auri 1. loton. Stanni 3. drachmas. Schlich 1. drachmam. Sulfuris 2. lotones. Vitrioli 2. lotones, fluant cum Argento in catino cum Arſenico.

Hic eſt Proceſſus faciendi Aurum & Argentum, quem Paracelſus aliis multi laboris longique temporis ſimilem haberi non vult, ſed hujus ope Aurum Argentumque levi opera, tempore ſumptuque parari poſſe confidit. Dubitandum non eſt, quin hic à myriadibus tentatus, ſpem operantium idque non ſine cauſa fruſtrarit ineptas ſpecies recipi putantium. Quales ipſe haud paucos iſtum expertos indignantes audivi. Quo pacto aurum argentumque ex rebus confieret volatilibus & prædatoriis, cujuſmodi ſunt Antimonium, Sulphur, Vitriolum & Arſenicum quæ non modò nullum fundunt aurum argentumve, ſed etiam ea inſuper corrumpunt, in fumum redigunt, vel ad minimum in ſcorias convertunt. Ipſe hoc explorans cum omnia conflarem, has ſpecies metallicas, Schlichum puta, Vitriolum Sulfur & Arſenicum Solem Lunamque corrupiſſe, forma metallica ſpoliaſſe, inque ſcorias tranſmutaſſe vidi: Verum hoc ipſum poſtulaverat Paracelſus, quod nos neutiquam abſterrere

debue-

debuerat; cum mox ſeipſum explicans ſubjungit, Aliquid debet fieri Nihil, iterumque Nihil fiat Aliquid : quod Imperitus non aſſequitur, Metalla corrupta, ſcoriæque facta dum artis beneficio reducuntur hoc labore meliorari, quod utut veriſſimum, à pauciſſimis, ut ipſe ait, verum eſſe creditur; totumque proceſſum toto capite uſque ad Mercurium confirmat, & explanat dicens; Corruptio facit bonum perfectum: bonum præ ſuo occultatore appare nequit: occultator avellendus, ut bonum ſolutum & conſpicuum fiat: primumque abſconſorum in quo metalla ſint excluſa & generata, eſſe montem, arenam, lapidem vel terram fuſione, ut metalla pura ſint, ſeparandum. Hic metallurgus ſubſiſtit, alius abſconſionis prorſus ignarus. Paracelſus verò addit unumquodque metallum eſſe abſconſorem cæterorum metallorum, quod 7. regulæ prolixè inculcant. Chymico non acquieſcendum innuens, cum ipſi foſſor vendibile metallum, ferrum, Venus, Jupiter, Saturnus ex minera liquatum porrigit, ſed naturalem Philoſophiam ulterius conſulendam, videndumque an hæc ſatis ſint pura, abſque adhærente & deteriorante abſconſore. Quantum ſit diſcrimen inter rudem vilemque mineram, metallum latè diſperſum multoque lapide & immunditie ſeptem continentem mineram, & piorum tractabileque metallum, vulgò eſt notiſſimum: tantum majuſque eſt etiam inter vulgare imperfectum metallum aurumque & argentum quæ in ſuo gremio concluſa habet.

Quia

Quia vero metallorum ex mineris eliquatio longo uſu adeo viluit, ut non ars habeatur, ſed opificium, ubique locorum exercitum, necque cujuſquam admirationem mereatur, ab initio tamen antequam vulgo innoteſceret ſummum artificium creditum & credendum, licet jam eviluerit: dubitare non licet, quin & alter metallis etiamnum adhærens occultator eadem facilitate tolli, intimumque purum & fixum centrum, aurum & argentum, ſi modus innotuiſſet, eliquari & ſeparari poſſit. Sed quia homines ulteriorem inveſtigandi operam & induſtriam non impendunt, vulgariumque metallorum uſus ſummè neceſſarius eſt, acquieſcimus quod ex craſſa minera ſemel eliquata, ductilia & humanis uſibus apta facta ſunt, neque hoc perperam, cum vita humana ferro, ſtanno, cupro plumboque minus quam auro atque argento carere poſſit. Iſtis tamen ubique abundantibus & ſpretis haud abs re fuerit, ſi viri ſapientes meliorem eorum partem, abditiſſimum nempe cor aureum artis igniſque beneficio extrahentes in anguſtiam redigerent, ad quod Parac. nos manu ducit, noſtra imperitia hactenus ſpretum, fabulæque inſtar falſe deriſum. Tempori id imputandum omnia mutans, perficiens vel corrumpens, ſperandumque majorem poſthac curam metallicæ anatomiæ impenſum iri, atque hactenus factitatum.

Imperfecta metalla ignis vi, quam ſuſtinere nequeunt, corrumpi & in nihilum redigi, bonum vero eorum, aurum & argentum, deſtrui vel è medio tolli non poſſe, ſed in ſumma anguſtia & vi

vi ignis ex imperfectis metallis coire & ſe mutuò tueri, impura portione combuſta & ſublata Paracelſus docet; quod & naturæ & veritati maximè conſentaneum deprehenditur, ubiq; enim, (heterogeneis rebus miſtis & injuria preſſis) ſimile ſimili ſociatur contraque vim pro virili ſe tuetur, ut conſervetur; reliquis quæ ſuæ non ſunt naturæ neglectis hoſtique prædæ relictis. Quod multa non in Animalibus tantum, ſed & vegetabilibus Mineralibuſque exempla, brevitatis ergo hic omiſſa confirmarent. Hoc vero ſcitu apprime neceſſarium, quis cujuſque ſit hoſtis vel amicus: nonnullis enim ſummus æſtus adverſatur, aliis intenſiſſimum frigus. Quod ſæviſſima hyeme conſpicitur, cum vas cereviſiæ calidæ plenum alteriuſque cujuſpiam ignei vel ſubtilitatis quid continentis liquoris exponitur, qui infeſto frigori reſiſtere non valens neceſſario corrumpitur, natura ſeſe prius quantum poteſt adverſus hoſtem tutante, puriſſimis potentioribuſque ejuſdem naturæ partibus, in centrum ubi ſervantur ſecedentibus, ſed reliqua hoſti in glaciem convertendis relinquentibus. Idem in aliis etiam liquoribus diverſarum partium frigus ſentientibus manifeſtum eſt, præſtantiſſima à viliore avulſa in medium munimentum feſtinante: ut ſi in eadem aqua ſal oleumve ſit ſolutum, hæc, præſtantiora ipſa aqua in medium ibunt, aqua frigori coagulanda relicta, quod experientia ſæpiſſime comprobavit. Urbe à potente hoſte, cui arcendo impar eſt, obſeſſa, non protinus eum portis apertis, ut pro lubitu omnia agat, ferat, admit-

tit, ſed quamdiu poſſibile, reſiſtit, nemo non libenter primus occiditur, ſed quamdiu poteſt recedit, Optimates præſertim, quibus ſumma rerum commiſſa, etiamſi cives ſuos ſervare nituntur, ut ne unus pereat, tamen cum non licet, potius ipſorum quam ſua corpora gladio objiciunt, intimam munitiſſimamque urbis partem ubi ſerventur petentes, donec civibus devictis deditionem & ipſi facere cogantur. Similiter cum imperfectis metallis comparatum eſt, quibus ab igne infeſtatis Natura ſeparationem molitur, pretioſiorem partem aurum & argentum à combuſtibili fœtidaque cui miſta erant ſecernente, quæ coëunt, & reliqua igni corrumpenda tradunt. Cumque Animalibus Plantiſque natura ſint potentiora, potentiorem etiam habent hoſtem ea ſeparantem, nempe Ignem, non tamen ſolùm, ſed additamento, quo eorum ſubſtantia corrumpatur vinculumque quo cohærebant, diſſolvatur intenſum, quæ ſunt Mineralium ſaliumque ob magnam cum eis affinitatem partes. Metalla enim ſola vel juncta ſi diuturno igne fatigentur nunquam mutantur, ſed radicalis eorum conſtructio mineralium ſalium vi prius diſſolvenda erit quam mutari illa & meliorari poſſint. Qua de re plura in ſequentibus.

Ut ſpecies & ingredientia hujus proceſſus intelligantur, aliquid nobis dicendum erit: nempe:

Hic ſcriptum eſt: recipe Antimonium, fluat cum Nitro & Tartaro, hujus ſume lotonem unam. Notetur non lotonem de integra liquata maſſa, ſed alterutra ſive ſuperiore ſcoriis, ſive inferiore

feriore regulo quem mixtura hæc fluens deorſum miſit, aſſumendum eſſe. Sed utra ſit, ex verbis percipi nequit: quia tamen Paracelſi intentio hic eſt, deſtruere aurum atque argentum dictarum ſpecierum admiſtione, inq; Nihilum redigere, ex quo Nihilo poſtmodum deſtructum Solis ex additamento augmentum in reductione nanciſcatur, non ſcorias hujus miſturæ, ſed regulum ſumendum putaſſe probabile videtur, ſtannum, arſenicum, & Schlichum ingredientem cumque Auro& Argento ea unientem. reguli enim Antimonialis proprium eſt contraria metalla mineraliaque conjungere. Stannum metallis ductilibus junctum, ignem cum ipſis paſſurum redigit ea in ſcorias, quod & Sulfur, Vitriolum & Schlichum præſtant, nullamq; ob aliam cauſam à Paracelſo accenſuntur, quam ut Solem & Lunam corrumpant & in ſcorias redigant. Quale vero Slichum (Schlich) quia cognomen Auri, argenti, ferri, cupri, plumbi ſtannive non adjecit, hic velit, nemo facile divinaverit. Hoc enim à Chymicis, Metallurgiſque Schlichtum vocatur, eum mineram optime tritam aqua diluunt, abluendo leviores ejus partes, mineram ſive aggerem vel lapidem, remanente in vaſis fundo parte metalli graviore & nobiliore, quam examinantes, inde valorem metalli mineræve conjiciunt: hunc laborem appellitantes Schlichten, vel in Schlichtum redigere, vel etiam Sicheren: & quia omnia metalla in Schlichtum ſive Calcem redigi poſſunt, hoc vocabulum Schlichtum vel Calx omnibus metallis convenire poteſt. Alias ex ille

tenuiſ-

tenuiſſimus limus ſive pulvis, in molis politoriis (Schleiff-mühlen) ubi varia ferramenta, enſes, thoraces aliàque arma poliuntur, ſub cote profundis ei rei deſtinatis lacunis, ligneiſve capſis collectus nigrorumque pannorum tinctoribus vendi ſolitus, Calx ſive Schlichtum nùncupatur. Num vero hanc vel metalli cujuſpiam calcem intelligat, incertum eſt, neque ejus etiam multum intereſt, cum Sol & Luna etiam abſque ulla hujuſmodi calcium in Nihilum redigi, iterùmque ex hoc nihilo auctum in Aliquid reſtitui poſſit, uti ſequentibus in tranſmutatione metallorum capitibus videbimus.

Fruſtranea iſtorum fuit exſpectatio, haſce ſpecies ſimul conflatas totas in Aurum & Argentum evaſuras putantium, nihil tamèn quam flavam vel ſpadiceam ſcoriam præter ſpem, triſti coruſcatione (Blick) adeptorum. Lætiſſima vero & beatiſſima illa eſt coruſcatio, ſiquis deſtructum & in Nihilum ſcoriamve redactum metallum nobilius & melius atque olim erat, reducendo nanciſcitur. Hæc vero deſtructio & reductio non uniformis eſt, ſed multifariis modis, quod ſequentia capita docebunt, perficitur.

Item, regula prima, de Mercurii natura & proprietate.

OMnia ſunt in omnibus abſcondita, ſed ex omnibus unum reliquorum eſt abſconſor & vas corporeum, externum, viſibile, mobile. Omnes in hoc vaſe manifeſti ſunt fluores, eſt enim

enim hoc vas corporalis ſpiritus,ideo omnes coagulationes & conſiſtentiæ in eo ſunt captivæ & concluſæ, à fluore ſuperatæ, circundatæ & conſtrictæ. Huic fluori ejuſque cauſæ nomen, quo vocetur, inveniri nequit: quia nullus eſt æſtus qui cum eo comparari queat, æſtus ignis gehennalis ei aſſimilari debet: quocirca hic fluor nihil omnino communionis ſive affinitatis habet cum aliis fluoribus,qui ab ignis elementaris æſtu funduntur, naturalique frigore congelaſcunt, coagulantur & rigeſcunt. Hoc non poſſunt Mercurio facere, imbecilliores ſunt, nihil ipſe eos moratur. Hinc notandum quod quatuor mortales Elementorum virtutes nullum habeant operandi ingreſſum contra [in] virtutes cœleſtes, (quas etiam quintam Eſſentiam nuncupamus, quia Elementa huic V. eſſentiæ nihil dare vel adimere poſſunt.) Vis Cœleſtis & infernalis IV. Elementis morigera non eſt: notetur ergo, Nullum Elementum, nullamve rem elementarem, ſive illa ſicca ſit, ſive humida, ſive ſit calor ſive frigus, nihil horum quicquam agere poſſe adverſus [in] Quintam eſſentiam vel Virtutem, ſed unumquodque ſuam operationem [efficaciam] ſeorſim pro ſe habet.

In hoc Capite, vel prima regula de Mercurio, Paracelſus ſuccinctis quidem, ſed perſpicuis verbis utitur, Mercurii fluiditatem non ex IV. corruptibilibus Elementis ortam eſſe dicens, ſed ex V. Eſſentia, ideoque nullam cum hujuſmodi Elementaribus fluoribus affinitatem habere. Quid vero proprie ſit V. Eſſentia, cujus hic Pa-

racelſus mentionem facit, multa quidem dicenda eſſent, ſed quod inſtituti ratio non fert: ipſe aliique Philoſophi: prolixe de ea tractarunt, quo acquieſcimus. Hoc ſuperaddo. Paracelſus V. Eſſentiam rem eſſe vult, IV. Elementis non ſubjectam, ſed permanentem incorruptibilem. Quo innuere vult, quandoquidem Mercurii fluiditas à V. Eſſentia originem ducit, & non ab Elementali igne; ejuſdem coagulationem ſimiliter per V. Eſſentiam non per Elementales ignes, ſive calidos ſive frigidos faciendam eſſe. Qualis vero illa ſit Mercurium coagulans & in Aurum Argentumve convertens V. Eſſentia, eamq; non ex vegetabilibus Animalibuſque petendam, ſed ex Metallis extrahendam, multoque ipſis puriorem, fixioremque, & liquabiliorem eſſe debere facile conjicitur. Multa de hac V. Eſſentia ſcripſit Paracelſus inſignes ei vires tribuens, qui cupit legat iſta in ſcriptis ipſius: alii etiam complures Philoſophi rem eam eſſe teſtantur, artis beneficio in puriſſimam ſummamque ſubſtantiam reductam. Quod V. Eſſentiæ nomen nonnulli etiam iſti Tincturæ qua projectiones fieri ſolent, attribuunt. Unde V. Eſſentiæ nomine puriſſimam, optimam potentiſſimamque rei partem ſemper intellectam ſatis liquet. Quicquid tandem ſit, Mercurium mirabile eſſe ſubjectum conſtat, nec tam facile coagulari figique quod multi male crediderunt, contrariumque magno damno ſunt experti. In hoc figendo plurimi carbones fruſtra ſunt abſumpti, & abſumuntur licet irrito ſemper conatu, quem & ego haud frequenter inſigni

ſigni cum tædio tractavi, ut non permanenter figens, tamen multa ſingularia in ipſo obſervans, quarum quiddam referre operæ pretium judico. Maxima ipſi vis ineſt, amiciſſima metallis, facillime cum puriſſimis, difficillime cum impuris miſcetur, quod ipſum puriſſimæ eſſe naturæ arguit: quod ſi figeretur, rem ipſo Auro præſtantiorem inde proventuram indubitatis rationibus, ſi opus, demonſtrarem: nunquam fructu caret, quotieſcunque metallis additus ignem tolerare cogitur quæ in ſua adhuc volatilitate evidenter juvat, quid fieret ſi fixus cum ipſis diu in igne liqueret? Lucis cauſa hoc ſubjungo.

Cum in juventute mea plurimos Mercurium cum Auro & Argento amalgamando, ſublimando, coagulando, præcipitando, aliiſque id genus laboribus fixuros & in Aurum & Argentum mutaturos viderē, ipſe eundem aggreſſus ſum ductu Paracelſi in Saturno ejus coagulationem reperiri dicentis: in exiguo igitur crucibulo 6. vel 7. plumbi partes liquavi, partem j. Mercurii addendo, hoc alii crucibulo in quo Nitrum fluebat demerſi ut à Nitro obtegeretur; interim in majori crucibulo Vitrum Saturni, ex partibus 4. minii, & parte j. ſilicum factum liquari, cui ſuperiora duo calentia impoſui, à vitro contegenda, hæc tria in novo crucibulo Vitro Saturni fluente demerſi, volatilem hoſpitem probe cuſtoditum autumans, tot muris incluſum Mercurium igni impoſui, ad fixationem coacturus, quem tunc quidem ſuſtinuit, perrumpere non valens: ſed aucto igne, vitroque cum nitro liqueſcente,

ipſe penetravit, nido vacuo, Saturnique pondere poſt ſe integro relicto, quem cum aliquando examinarem, granum argenti vulgari argento gravius exhibuit, quod fixum & coagulatum Mercurium credidi; ſed labore iterato rem aliter deprehendi, non ipſum ſcil: Mercurium fixum, ſed avolaſſe, occulta verò ſua vi Saturnum pervaſiſſe & melioraſſe, ut aliquid argenti daret, tota quoque plumbi maſſa hoc labore denigrata & inſtar ſtanni indurata fuit; unde Mercurium, qui purus putus igneus eſt ſpiritus, ignis impatientiſſimus, abſque V. Eſſentia figi non poſſe bene perſpexi. Hoc vero poteſt, ſi aliis metallis junctus tantiſper retinetur, ut ignem ferat, licet mox evaneſcens, immutat ea quodammodo, non meliorando, ſed penetratione exitando ut in ſe mutuò agant, & meliorandi vim accipiant, etiamſi quod ſcio non cum magno emolumento; ſed tantum poſſibilitatem, mirabilemque & propemodum imperveſtigabilem ejus potentiam oſtendere volui. Merito enim naturæ miraculum habetur, merus eſt ignis inviſibilis, licet apud ignaros frigidus audiat, arteque longe calidior volatiliorque reddi poteſt, quod aliquoties ſum expertus, ubi ſæpius igni vehementi iteratò injectus, vitriſque exceptus, innata vi ſeſe elevans abſque igne, in chaos ſuum remeavit. Verbo multi prodigioſa cum Mercurio patrarunt, ſed ſine fructu omnia, qua de re plura ſuo loco.

Item

Item regula II. de Iove ejuſque natura.

QUæcunque res manifeſta eſt, corpus Jovis puta, in eadem 6. reliqua corporea metalla ſpiritualiter ſunt occultata, alterumque altero profundius & remotius. Iupiter V. Eſſentiæ particeps non eſt, ſed IV. Elementorum naturæ; ideo fluiditas ipſius exiguo ignis calore manifeſtatur, ejuſque coagulatio itidem modico frigore perficitur, & communionem cum reliquis metallicis fluoribus habet.

Quapropter quo, quid alteri ſimilius eſt naturâ, eo libentius ei unitur, ſi ſe mutuò tangunt: multoque eſt efficacius & ſenſibilius in propinquo: quod enim longè abeſt, non urget; neque etiam remotum, ut ut magnum, multum timetur. Sic nec cœlum appetitur, quia procul abeſt, nec à quopiam conſpectum: nec infernus metuitur, quia longe remotus, cujus formam nemo novit viditque, nec cruciatum ſenſit, ideo pro nihilo habetur. Abſentia igitur parvi fiunt, vel plane rejiciuntur, in craſſo loco conſtituta: loci enim proprietate quævis res deterioratur vel melioratur, quod multis exemplis probari poſſet.

Quo ergo Jupiter longius abeſt à Marte & Venere, propiorque Soli ac Lunæ, hoc quoque magis eſt aureus & argenteus, in ſuo corpore, majorque, potentior, pellucidior, ſenſibilior, pulchrior, jucundior, notabilior, palpabilior, verior & certior videtur quam è longinquo.

E contra, quo quid longinquius, eo vilius & abjectius eſt in prædictis rebus: præſentia enim ſemper ſunt notabiliora abſentibus: quo propinquius eſt viſibile, hoc remotius inviſibile. Curandum ergo tibi Alchymiſtæ, quo pacto Iovem capias colloceſque in ſpiritualem arcanum & remotum locum in quo Sol & Luna ſunt, Solemque vel Lunam, utrum malis, ſumas è longinquo, colloceſque in propinquo in locum ubi Iupiter corporaliter fuit, ita ut Sol & Luna etjam corporaliter adſint coram oculis vereque in examine. Metalla enim ex imperfectione ſua in perfectionem tranſmutandi varii modi ſunt & labores.

Unum alii miſcere, rurſumque unum ab alio purum & ſincerum ſeparare nihil eſt aliud quam per mutatio genuino Alchymiæ labore facta. Nota: Aurum multum Jupiter, & non purum Argentum habet. Saturnum & Lunam impone ei, & augebitur Luna de reliquis.

Etiamſi veram cauſam, cur Paracelſus facto de Mercurio initio ad Jovem tranſeat, non exacte teneamus, ſingulare tamen myſterium, quo aliquid innuere voluerit, ſubeſſe vero ſimile eſt.

Priorem hic repetit ſententiam dicens: unumquodque viſibile metallum cæterorum inviſibilium occultatorem eſſe, ex quibus ſiquid boni velimus conficere, inviſibile ac ſpirituale eorum Aurū ſumendum & in propinquum vel viſibilitatem collocandum eſſe, contra vero viſibile procul ponendum & inviſibile faciendum. Quo vero

ro pacto fieri debeat, non addit, ad 7. regulas iſtud docturas lectorem ablegat, exercitato, ne dicam rudi tyroni intellectu difficillimas: quæ quia nec à milleſimo intelliguntur, mirandùm non eſt, cur ſcripta ejus publice contemtim habeantur. Bene haud dubie nobis voluit, ſe perquam clare ſcripſiſſe credens, ſermonemque quaſi ſibi cum naturæ metallicæ perito res eſſet, inſtituit, nulla habita vulgaris cæcitatis ruditatiſque ratione, unde tam egregiam ab omnibus gratiam iniit & reportavit. Sed quid agendum dicendumve? Cum imperitis ſuperbis hominibus malè convenitur, ut clariſſime ſcribas, tamen quia inexercitati ſi vel ſemel erraverint, meris conviciis ſcriptorem dilacerant: hinc eſt quod multi tacere præ-optent, ſtultis ſua tintinnabula relinquentes: verùm re accuratiore examine trutinata inſontem cum reo ulciſci iniquum videtur. Cui ergo Deus talentum præ cæteris gratificatus eſt, ne invidioſe illud propter malos defodiat, ſed ſolem ſuum indiſcriminatim bonis maliſque impertiat, mercedem à Deo exſpectans unicuique ſecundum opera ſua remuneraturo.

Stannum, ſi ejus naturam & proprietatem ſpectes, inter reliqua imperfecta eſt purum, immaturum, plurimo Sulphure combuſtili præditum metallum, unde ſuam in igne liquabilitatem & corruptibilitatem eſt adeptum, qua ſublata, quod leni igne fieri poteſt, metallicam fluiditatem perdidit, illiquabili cineri ſimillimum: cui ſi aliud addas Sulphur, quo cinis iſte

in metallum redeat, iterumque in cineres convertas, repetendo hunc laborem, donec omni combuſtibili Sulphure combuſto calcinatione in cineres abire reſpuat, funditur & in examine (im abtreiben) facilè dat ſuum Aurum & Argentũ Quod enim plumbo admiſtum igne forti litem movet, ſurſum ſcandens in cineres abit; id combuſtibili Sulphuri imputandum, quo etiam cum Auro, Argento, Cupro & Ferro fuſũ fragilia reddit inſtar vitri: toſtione vero, incineratione, cementatione vel alio quovis modo ſpoliatum iſto Sulphure, non amplius fragilia eareddit, (quod tamen difficultatis plena res eſt,) ſed cum eis funditur, & ſeparatur (läſt ſich ſeygern) facillimè cum Veneri, quæ blandis & doloſis verbis ambos ſenes Saturnum & Jovem, ut ſe mutuo in igne tolerent conciliare novit. Idem quoque Aurum & Argentum præſtarent, verum quia iſta per ſe pretioſa facile ex crucibulo effluunt & opus perire poteſt, ſatius eſt iſta multo labore purgata impuris non de novo immergere & perdere, ſed Cuprum adhibere, ſuum etiam occultum Aurum & Argentum de ſe exhibentem.

Sunt & alii modi Stannum à ſuo ſuperfluo Sulphure purgandi, nempe ignis nitroſus. Si limatum Stannum cum Nitro Sulphure & ſerragine miſtum accendatur, pars Stanni in flores elevatur, pars remanet, igne forti reducenda, prædictaque ratione donec tota ſubſtantialia in flores cineresque abierit, adminiſtranda, metallica forma & natura planiſſime deſtructa. Poſtea flores ex receptaculis colliguntur, & cineres elixi-

elixiviantur ſeu eluuntur, bonique fluoris beneficio in metallum reducuntur, iterum limandum, ſublimandum, urendum ut antea, donec totum Stannum inſtar ſcoriarum remaneat, non ſublimabile, cum Plumbo fundendum & ſeparandum (mit Bley amſieden vnd abtreiben) & invenies Aurum & Argentum in ejus viſceribus concluſum.

Aliter, Limaturam Stannum perfunde nitro fixo, ſuoque tempore digere, humiditatem exhalantem novo liquore ſupple ut ſemper humeſcat, non vero nimis liqueſcat, ſed ſit inſtar ſpiſſæ aquæ: hic liquor uſtibile ſtanni Sulphur ſolvit & abſumit, incombuſtibile figit igniſque reddit patiens, ut cum Plumbo fuſum & purgatum (aenſieden vnd abtreiben) ſuum Aurum & Argentum præbeat.

Alio modo ſeparatio inſtituitur. Stannum cum vulgari Plumbo vel regulo Antimonii redige in vitrum vel amauſum, quod diu in forti igne & fluxu ſerva; (noli incerationis nitri vel ſalis tartari obliviſci) quo opere puriores Stanni partes congregatæ regulum dant, impurioribus cum Plumbo & ſale in ſcorias ſecedentibus, regulo repurgato (abgetrieben) fixum & ſecretum Aurum & Argentum in cupella habebis.

Sciendum vero hujuſmodi operationes abſque Cupro quidem patrari poſſe, plus tamen Auri & Argenti ſi Cuprum addatur exhibere; non quia ipſum etiam Cuprum ſuum fundit Aurum & Argentum, ſed quia Stannum per ſe abſque cupri ad miſtione nō libenter ſuum Aurum & Argentū dimittit.

mittit,ſed apud Cuprum ſuum quærendo perfugium, & ſcoriis ſe ſubtrahens illic abſconditur, uſque dum labore abſoluto,ſcoriæ illud non amplius intra ſe trahere poſſunt:eſt ergo cuprum loco receptaculi,ubi ſe collectum æque maſſa ſeparatum Aurum & Argentum tueri poteſt & occultare, quod Chymici Balneum appellitant.

Hujus Amauſorum laboris, capite IV. ubi de Cupro agitur, prolixior mentio fiet.

Poteſt & hoc pacto Aurum & Argentum ex Stanno ſeparari:Sub teſtudine(een muffel)in Catino (treib ſchÿrben) fluat commune Plumbum, bene calido parum injiciatur plumbi,ingredietur actutum, ſed mox aſcendens accendetur inſtar ſcintillarum ardentium, in cineres abibit, uncinulo abſtrahendos,recens Stannum immittatur, combuſtum abſtrahatur, repete hunc laborem donec totum Plumbum Stanno abſumtum ſit, cineres ſub teſtudine in catino adhuc horam bene candeant,ut ſi quæ plumbi grana adſint, cineres fiant & eo melius cinis Iovis calcinatus figatur; quem reducito, erit metallum, quod ſub teſtudine candens iterum cinis fiat, itera hunc laborem,donec reductione in metallum abire reſpuat, ſed ſcoria & deſtructum metallum maneat, in optimo crucibulo addito ex tartaro nitroque parato fluore, ſuum tempus fluat, Stannum fixum cumPlumbi parte in regulum ſecedit ad fundum, qui lotus (abgetrieben) in Stannum abſconſum Aurum & Argentum manifeſtum reddit. Labor hic elegans eſt, facilis, paucorumque, præſertim ubi ligna & carbones viles ſunt, ſumtuum egens.

egens. Scoriæ à quibus rex ſeceſſionem fecit, non perierunt, ſed aliis uſibus, mox dicendis deſtinantur.

Qui vero ex hoc parvo ſub teſtudine labore lucrum ſibi pollicetur fallitur, quia ſic ſolum quantum Auri & Argenti in centenario Stanni ſit veſtigatur, quantiſque ſumtibus eliquandum, quo melius quid lucri in ſingulos dies exſpectandum, ſupputari queat, neque etiam hic labor ſub tegula tam commode perficitur atque in majoribus furnis, majorem ferentibus ignis calorem, & proinde lucrum uberius in copia pollicetur. Qui qua ratione ut largos fundat reditus inſtruendus, licet ipſe ob varias occupationes non tentarim, paucis delineabo. Iuxta calculum ex minori quantitate ſupputatum Centenarius 10. vel 12. centenarios plumbi, re prudenter adminiſtrata, requirit, collecto ergo plumbi, ſtanni, carbonum laboriſque pretio, & ab Auro ſubſtracto, pauculum remanere impenſiſque opus reſpondere videtur: ſi vero penitius introſpicias fructum haud ſpernendum emerſurum percipies, ſi ſcilicet plumbum adhibeas, argento impragnatum, ſed quod impenſis non præponderatis ex eo nondum ſit ſeparatum: aureum itidem ſtannum, quale non raro invenitur tanti valoris aurum continens, quo ipſum ſtannum venditur, cujuſmodi plumbum etiam reperitur cujus pretio incluſum argentum æqui pollet, ſed à metallurgis non ſeparatum, quia hujus ſeparationis ſunt ignari, vulgarique utiliter ſecerni nequit, quoque opus ſit quæ-

quæſtuoſius, ſtanno addantur aurei vel argentei lapides ſeu mineræ, quales ſunt Marcaſita, Antimonium, arſenicum, auri pigmentum, Koboltum, varii pyritæ ſive Kiſii, alias ob auri paucitatem nunquam liquari ſoliti, & in ſcorias redigantur, qui & ipſi ſuum Aurum atque Argentum conferentes, majus lucrum ſuppeditant. Maxime ſi hujuſmodi mineræ prius cum Cupro fuſæ ferri beneficio (ſive cum ferro) in regulum, vel aurum eorum in anguſtiam, redigatur mox reguli cum Stanno injecti plumbo in ſcorias abeant, tunc aurum eorum abſque magnis impenſis acquiritur & per Stannum depuratur. Sed ſi proficua debeat eſſe hæc ſeparatio in crucibulis non adminiſtranda, ſed in bene compactis focis, ſuper quibus luculenta flamma diſcurrens metalla bene calefaciat, peractaque calcinatione, incineratione vel annihilatione in fornace acuta(im Stichofen)reductio fiat, cujus rei accuratiorem tractationem temporis ratio non fert, ſufficit minori quantitate veritatem deprehendiſſe, cuique ſuam in metallicis felicitatem experiri fas eſt.

Etſi vero plures ſint Auri argentique ex Stanno ſeparandi modi, ſatis tamen mihi hac vice indicaſſe videor, ſequentia capita ubi de cæterorum metallorum naturæ agitur, quod detegere conſultum judicabitur, patefacient.

Tertia

Tertia regula de Marte ejuſque Proprietate.

SEx abſcondita metalla ſeptimum de ſe expulerunt & corporale fecerunt, relinquentes ei infimam dignitatem, craſſiſſimamque duritiem & laborem imponentes: in hoc totum robur, duritiamque coagulationis conjectam manifeſtarunt, coloribus cum fluoribus nobilitateque intus aſſervata. Arduum laboriſque plenum eſt ex vili ac plebejo principem vel regem efficere. Sed Mars ſua virtute honorem conſequitur, altumque regum ſolium conſcendit. Cautione vero opus, ne feſtinanter præoccupatus capiatur. Cogitandum qua arte Mars in regium, Sol verò & Luna in Martis locum cum Saturno ſint promovendi.

Progredimur ad Martem ordine, Aſtronomorum quoque computatione ſupernè deſcendente tertium: hic vero Paracelſus non Saturno Aſtronomorum more, ſed Mercurio primas tribuit forſan non ſine gravi cauſa, ſingulare quid hoc ipſo indigitaturus. Iam pergit dicens, Mars rudis, aſper & craſſus eſt, quia cætera metalla ignobiliſſimam ſui partem in ipſum excreverunt; quod ipſa experientia conteſtatur, ex craſſo & nodoſo ligno fabricatus eſt, parum boni penes ſe habens: aſper eſt, leni, tenero, nobilique Jovi nequaquam comparandus; ſed à nodis, quod difficulter fit, liberatus, adque manus dandas coactus virtutem ſuam exerit,

rit, ſe etiam regii ſanguinis participem demonſtrans.

Saturnum eum denodare, ad altioremque gradum evehere Paracelſus addit, licet Aſtronomis horum duorum conjunctio, omnis mali autrix valde diſpliceat, quibus idcirco pacificum & benignum Iovem medium inſeruere. Ut claudus Saturnus acerrimum Martem dedolet, juxta Paracelſum cautione opus eſt, ne præcipitantia ſibi damnum inferat; viriliter reſiſtit, nec facile ſe dedit, alios potius capere & perdere ſatagit: poſſibile tamen eſt juxta Paracelſum cujus rationes ſtrictim perluſtrabimus.

Saturnus quidem cætera imperfecta metalla lavare, & à Sulphure ſuperfluo, ſi quid boni ipſis per accidens adhæreat, repurgare aptus natus eſt, radicalem & innatam impuritatem tollere neſcit, huic rei examine cupellarum teſte ſolus non ſufficit. Ut enim Plumbo Ferrum addas ſuper cupella ſeparandum (abgehen laſſen) nullum tamen ſincerum habet in Saturno ingreſſum, ſed ſi magno labore eo adactus ſit, non manet, ſed cito ſecedit ad ſuperficiem ſcoriæ inſtar, nihilque cum Plumbo relinquens quam quod ipſi accidentaliter inerat, ipſe cum integra nativa ſua bonitate recedit. Hoc Stannum quoque facit, Cuprum verò, licet non innatet Plumbo & diſceſſionem faciat, radicaliter tamen haud jungitur, ſed cum Plumbo in liquabiles ſcorias redacta in poroſos cineres deſcendit, qua de re 4 furnorum parte, & in appendice accurate egimus.

Plum-

Plumbum ergo non verum eſſe Metallorum lavacrum, ſed ut fiat arte præparandum eſſe liquet, idque rationis quoque calculo, ſi rem exactius penſiculeris: quo enim pacto Saturnus metallorum liquidiſſimus cum duriſſimo ferro ſponte copulabitur? verum quidem eſt quod ſe mutua fuſione ingrediantur, ſed coactè, & ſuperficialiter, non radicaliter, ut ſi quis aquam farinæ miſtam in pultem coquat, aqua ſpiſſeſcit, farina liquet, neutra alterum in radice recipiente, aqua in farinæ poros ſeſe inſinuans pultem eam conſtituit. Simili ratione Plumbum & Ferrum miſcentur quidem, ſed ignis violentiam pariter non ſuſtinent, ingenium Mars non mutat, ſed in colliquatione durum, difficulter liquabile metallum manet: neque plumbi humiditas & liquabilitas hoc pacto corrigitur, ſed in unam licet maſſam conflata unumquodq; antiquum obtinet: quod ſi huc promoveantur ut ambo eundem ignem ſuſtineant, deditionem facit Ferrum, ſuum Aurum plumbo tradens; ejuſque Sulphur calidum volatile in Plumbo occultum Argentum maturat, exaltat & corporeum reddit, ut alterum alteri ſuam bonitatem virtutemque impertiat, alterius defectum ſuppleat, & ambo perficiantur. Quamvis enim aſperum ferrum cum liquido & combuſtibili Sulphure, vel Sulphureo minerali, puta Antimonio arſenico vel auri pigmento fluat, tranſmutatio tamen nulla fit, unoquoque in ſua natura abſque alteratione permanente. Quemadmodum Mercurius cum Auro vel Argento in amalgama redactum,

dactum ſolutionem non facit, ſaltem auro adhæret, facilique negotio diſcedit, auro ſibi relicto. Quod ſi quis Aurum vel Argentum cum Mercurio radicaliter conjungere ſciret, neutrum alterum deſereret, ſed igne forti ſe mutuò perficerent, id quod & reliqua præſtant metalla in radice ſibi commiſta.

Interroget nonemo, quidnam ſit radicalis vel ſpiritualis Metallorum commiſtio, quidque per illam intelligam? reſponſum habeat inſito amore ita uniri, ut libenter junctæ maneant, proſpera & adverſa ferant neutrum præ altero ſit notabile, ſine obſtaculo occluſa oſtia craſſoſque muros penetrent, volatile in igne non exhalet, liquabile ab illiquabili non ſeparetur, vas perreptans, poſt ſe fixiore vel aſperiore inſtar ſcoriarum relicto. Quo ergo pacto metalla reddam ſpiritualia inque radice conjungam, inſtes: an primo in Aqua forti ſoluta, aliiſve corroſivis ſpiritibus ſoluta, ſuper alembicum ut volatilia fiant, elevanda? Minime gentium: hujuſmodi ſpiritualizatio deceptorius & ſophiſticus plane labor eſt, myriades quo minus ad veritatem pertingant impediens. Cuncti Philoſophi diverſum ſuadent, ne metalla ſpiritibus acribus diſcrucientur, quibus non perficiuntur, ſed in radice corrumpuntur & mortificantur. Cur aquis ſuffocato plus aquæ infundam ut eum in vitam revocem? hoc pacto frenum caudæ applicares. Notorium eſt, id quod in imperfectis metallis ſuperfluit, eſſe combuſtibile & corroſivum ſulfur: quoque ſint imperfectiora & viliora,

liora, eo plus iſtius comburentis Sulphuris poſſidere. Cujus evidens teſtimonium nobis Mars exhibet, ſolum Sulphur acidum eſſe quod omni eum gradu dignitateque privavit: cujus craſſi, acidi & vitriolici Sulphuris ſi tam dives non eſſet, non tam facile ferruginem contraheret, vulgariſque humoris attractione corrumperetur:& ſi tam facilè ferrugine non obduceretur, melioribus uſibus ab homine deſtinaretur. Objicias. Tam corroſivum Sulphur ei ineſſe mihi veriſimile non fit: unde ei obveniſſet: cum mineræ vel lapides ex quibus excoquitur tali Sulphure infecti non deprehendantur, unde ergo hunc invaſit? quin ſi hujus Sulphuris particeps fuiſſet minera, in fuſione utique tantum ignis gradum non ſuſtinuiſſet, ſed elevatum avolaſſet. Haudquaquam, amice, metallorum tu naturam non intelligis, quamque ob cauſam ferro cæteriſque imperfectis metallis tale Sulphur reliquerit Natura prorſus ignoras. Eſt enim alimentum melioriſque ipſorum partis, embryoni ſimillimæ, quaſi involucrum & matrix, in qua generoſus fœtus matureſcit, qui poſt maturitatem puri metalli ſpecie ſeſe inde explicat: Non enim ut ferrum maneret ferrum, ſed in aurum abiret natura intendit; foſſor vero tantæ moræ impatiens, varioſque ferri uſus præſciens, ſpatium quo aurum fiat non concedit, piſcatorem iſtum imitatus, quem piſciculus captus, ut in aquam remitteretur, donec piſcis factus patinam melius compleret, rogavit: ipſe vero negavit dicens, tenebo te qualis

es, utrum enim adultus humum ſis repetiturus incertum eſt. Hoc & foſſor facit, aurificationem ferri non præſtolatur, ſed præſentibus uſibus iſtud applicat. Plurimum ſalis corroſivi, igne fuſorio non combuſtibilis ineſſe, vulgo notiſſimum eſt, nec ulteriori demonſtratione eget, poſtquam illud in Annotationibus Appendicis etiam inculcavi. Et ut videas, metallum poſſe in furno fuſorio volatile combuſtibileque Sulphur tueri & ſervare, adhuc clarius exponam. Aurum ſuam jam nactum perfectionem, à quo ut partu maturo, hoc Sulphur comburens, ſalque acidum natura exturbavit, non quærit tale combuſtibile Sulphur, vel ſal acidum Vitriolatum, quia illo pro ulteriore nutrimento non indiget, neque etiamſi addatur, retinet, ſed in igne abſtrudit, nullam cum eo amicitiam iniens, uti imperfecta metalla faciunt. Argentum vero licet nondum abſolute perfectum, cæteris verò perfectius, tamen cum hoc Sulphureo ſale commercium habet, ut vulgare Sulphur etiam in magno calore diutiſſime retineat, quod infra in metallorum ſeparatione oſtendemus. Quod ſi Argentum propemodum maturum metallum hoc facit, quidni reliqua imperfectiora idem libentius facient. Cujus rei ut fias certior, Sulphureum ſal cuivis metallo incorpora, detine in ingenti calore, poſt aliquot horas videbis quod metallum tuum iſtud Sulphur retinuerit contraque vim ignis defenderit. Quod ſi metallum, ab hujuſmodi Sulphureo ſale fuſorio igne quodam-

dammodo ſeparatum, idem denuo recipit & tuetur, annon multo magis ſuum in quo ipſum genitum & excluſum? Omnibus anteit ferrum, non Sulphureis tantum corrodentibuſque ſalibus amicum, ſed & urinoſis, quæ cum acida habere nequit, vi magnetica in igne attrahit & tutatur. Exemplo ſit limatura Martis cum nitro vel ſale tartari miſta, ubi ſalia fuſorio igni cum Marte figuntur igni reſiſtentia. Quæ res notatu digniſſima, & neqnaquam negligenda.

Ut ad propoſitum redeam demonſtrandi, quod metalla imperfecta ſpiritibus, ſalibuſque corroſivis non ſolum non meliorantur, ſed potius corrumpantur, quotidiana experientia, præſenſque oculorum conſpectus teſtatur, omnes iſtos qui corroſivis ſpiritibus in ſua metallorum melioratione uſi ſunt, nihil omnino boni præſtitiſſe, ſed tempus, oleum operamque magno ſuo detrimento perdidiſſe: Contra vero illi qui alia adhibuerunt menſtrua, non corroſiva, indies profeciſſe, pluſque vidiſſe, quam quæſiverant: hi metalla abſque corroſivis ſolvere, ſpiritualia reddere, eaque radicaliter unire ſatagunt, ut in igne mutuo agant & patiantur, ad puritatem perfectionemque cooperentur & ſeſe nobilitent. De qua ſpiritualiſatione capite 6. ubi eandem & Paracelſus tractat, pluribus agetur. De Marte ergo aſſero, debere ipſum hujuſmodi menſtruis tractari quæ non tantum non ſint corroſiva, ſed & corroſivis repugnantia, iſtaque quæ metalla in fuſione re-

tinuerant mortificantia & ſeparantia, ne impoſterum humiditatem attrahant & exinde ferruginem contrahant & corrumpantur, ſed contra omnia potius corroſiva. Sulphureque combuſtibile conſiſtant & ſeſe tueantur. Neque vero quis cogitet, Martem hac antidoto à ſuo craſſo, terreo, combuſtibili & corroſivo Sulphure liberatum, toto ſui pondere in merum aurum evaſurum: Nullatenus: boni enim in Marte minima eſt quantitas, quanto nobilius ferro vulgari aurum eſt, tanto vilius eſt reſiduum ferrum illo à quo aurum ſeparatum eſt, nihilque eſt aliud quam mera ac viliſſima terra vel ſcoria omnis fluoris metallici expers. Bubulum aliuſve animalis lac, aqua non dilutum, bonum eſt lac, ſed bonitate longe inferius ſecreto ſincero probeque elaborato butyro: & quo vilius eſt lac butyro, hoc quoque vilius eſt lac acidum flore exutum illo quod dulce eſt ſuoque adhuc cremore abundat. Si generoſum vinum ſpiritu ſuaviſſimo præſtantiſſimoque deſtillationis beneficio ſpolietur, unica ipſius pars melior eſt 12. partibus iſtius vini ex quo extracta: reſiduum non poteſt eſſe amplius vinum, ſed hoc vilius alio bono vino, quo hoc vilius eſt iſto ex ſe extracto ſpiritu. Similiter cum metallis comparatum eſt, quæ ſua anima qua formam metallicam conſequebantur privata, non amplius ductilia metalla eſſe poſſunt. Idcirco dum Aurum ex imperfectis ſeparatur accuratè penſitandum, num valore reſpondeat metallo aliiſque ad extractionem neceſſariis impenſis, quod ſi reſiduum

metal-

metalli aliis uſibus applicare noveris, hoc audentius hujuſmodi ſeparationi incumbes.

Ut ad Paracelſi verba redeam oſtenſurus, Martem per Saturnum ad regiam dignitatem evehendum; qui antea dixerim liquidiſſimo cum duriſſimo nullam intercedere familiaritatem, ſed illud prius abire in fumum quam hoc fluidum reddere, Saturnoque in Martis ſeparatione nequaquam carere poſſe, quo pacto adhibendus paucis expendamus.

Saturnus per ſe quidem liquabilis & volatilis eſt, facile tamen illiquabilis fixuſque abſque humidi radicalis, ſive metallicæ naturæ detrimento reddi poteſt, ut eundem cum Marte ignem ſuſtineat, huc redactus, ſeparationi Martis idoneus erit: multifariam quidem illiquabilis (hartfluſſig) redditur, optimè vero per ſalia fixa, Sulphuri in Marte ſuperfluo ſimul contraria, eque regulis qui ex Marte fiunt, maxime ſeparabilia. Nitrum enim Tartarique ſal non tantum Saturnum condurant, ſed & alia metalla cum eo uniunt, reddentia ea ſpiritualia pellucido ſolubilique vitro ſimillima, quibus ſuum tempus ignem paſſis, agente abſumto, patiente vero ſufficienter repurgato, puriſſima ſpiritualiter commiſtorum metallorum pars vi Saturni ſidit à reſidua inutili parte ſeparata: regulus levi opera purgatur, ut totam maſſam præcipitatione ſeparare inque regulos redigere non opus ſit, ſed Saturnus innata vi, debito tempore ſeparationem ſive præcipitationem puri ab impuro metallorum ſpiritualiter unitorum

 abſol-

abſolvit. Satis ergo dictum ſit, qua via Aurum ex Marte per Saturnum ſeparandum, nempe Saturno per ſalia prius fixato & difficulter liquabili facto, ut eandem ignis vim cum Marte ferre valeat; impoſſibile alias eſſe vulgato examinatorum more mediante Saturno ſcoriando (mit anſieden) & ſeparando (abtreiben) quicquam ex Marte habere, qui quemadmodum & Iupiter igne forti cum vulgari Saturno non manet, ſed ſecreti in ſcorias abeunt, quod & 1. hujus libelli parte innuimus, quo benevolum lectorem remittimus.

Hæc auri ex Marte ſeparatio cum regulo & Antimonii & nitro, ac fere melius quam Saturno vulgari fieri poteſt: quod vero nullum trado Recipe, totumque proceſſum à capite ad calcem, nemo miretur, in immenſum liber excreſceret, nihiloque plus mercedis ab ingratis mihi accreſceret: modum ſpecieſque quibus faciendum ſubindicaſſe ſufficiat in chymicorum enim gratiam in igne metallicisque expertiſſimorum, non vulgaribus Aquarum deſtillatoribus ſcribo, & quod ad illuſtrationem pertinet ſub 7. regularum finem aliquot proceſſibus ſupplebitur.

Quod prima hujus tractatus parte alibique paſſim Marti aſſcribo, quod non ſolùm non libenter Aurum ſuum tradat, ſed & quod ipſi caſu conſiliove additur abſorbendo abſcondat, nec ſine detrimento reddat, cogitet nonnemo, qui ergo poſſibile eſt, per Saturnum & ſalia iſtud tam levi opera præſtare? Sciat hanc Auri ex

Ferro

Ferro extractionem non eſſe vulgare examen (abtreiben) ſed veram Philoſophicamque ſeparationem (Seigerungh) qua Mars bene ſolutus à craſſo duroque corpore pleniſſime liberatur: cujuſmodi prægnantes proceſſus ego nuſquam offendi. Et quamquam plurimos lectores hæc non altius indagaturos haud ignoro, aliquid tamen ſubeſſe dico credoque ipſo auro longe præſtantius habendum, quod ne caput nimium fatigas, tibi etiam communicare haud gravabor: nempe. Ex Ferro abſque omni corroſivo paratur Sal, quod Auro animam extrahere poteſt, ut hoc ſemimortuum remaneat, Mars vero ingravidatur ut, quemadmodum divino, fœtum aureum edere valeat debilitatum Aurum ex Cupro & Antimonio amiſſum colorem vireſque recuperat. Hujus etiam alii Philoſophi mentionem faciunt, Martem ſcil: nec regi parcere, ex cujus penetralibus cimelia prædari ſeſeque iis exornare non erubeſcere. De quo arcano celeberrimus Sendivogius hunc in modum ſcribit. Noverunt Chymiſtæ ferrum in cuprum " ſeu Venerem ſine Sole mutare? noverunt et- " jam è Iove facere Mercurium: ſunt & ali- " qui qui è Saturno conficiunt Lunam; ſed ſi " ſcirent his mutationibus Solis adminiſtrare na- " turam, certè rem omni theſauro invenirent " pretioſiorem. Propterea dico non ignorandum " eſſe quæ metalla invicem ſint conjungenda, " & quorum natura naturæ correſpondeat. Pro- " pterea unum datur metallum, quod habet po " tentiam alia conſumendi: eſt enim ferè ut A- "

„ qua eorum & ferè mater: unica tantum res,
„ humidum radicale, Solis videlicet & Lunæ
„ reſiſtit ei, & melioratur per illud: Sed ut de-
„ tegam Chalybs vocatur. Si undecies coit Au-
„ rum cum eo, emittit ſuum ſemen, & debilita-
„ tur ferè ad mortem uſque: concipit Chalybs,
„ & generat filium patre clariorem: poſtea cum
„ ſemen jam nati imponitur in ſuam matricem,
„ purgat illam, & facit millèſies actiorem ad
„ pariendum optimos fructus. Eſt & alius Cha-
„ lybs, qui aſſimilatur huic: per ſe à natura cre-
„ atus, qui ſcit ex radiis Solis (mirabili vi & vir-
„ tute) elicere illud quod tot homines quæſive-
„ runt & operis noſtri initium eſt. Vides quod ex Marte quoque boni quid habeatur, licet apud omnes male audiente; malus certe eſt, ſi rerum potiatur, nec ſupremæ poteſtati parcens, cui occultos theſauros vi extorquet, ſed commercio cum Venere iterum deponit, cum tempore inter ſubditos diſtribuendos. Rex bonis exutus etiamſi morboſum pallorem contrahat, animum non deſpondeat; ipſe modò ſit ſuperſtes, conclamatum non eſt, dum enim gazæ non exportantur ſed in regno manent, inter ſubditos diſtributæ priſtinam ex debitis reditibus majeſtatem & ſplendorem recipere, novas colligere, regiamqne dignitatem ſartam tectam ſervare poteſt.

Hic me à vulgaribus ſciolis ſed in Naturæ lumine cæcutientibus traducendum præſagio, quaſi Sendivogii Chalybem de vulgari Ferro interpretatus, non ſecundum literam intelligendum,

ſed

ſed quo author aliud quid innuere voluerit. Verum parum refert: quod ſcriptum eſt, ſcriptum eſt, nec ſine cauſa. Non ignoro ipſum mecum vulgare ferrum non velle, ſed intimam, citra corroſiva paratam, paucíſque cognitam magneticam vim & eſſentiam, præ omnibus rebus Animam ſolis avidiſſime attrahentem & tranſmutantem. Qua hic acquieſcemus.

IV. Regula de Veneris Natura.

Reliqua ſex metalla Veneri omnes ſuos colores fluorumque media cum inconſtantia in corpus externum adaptarunt. Utile vero foret intellectui exemplis nonnullis inſinuare quo pacto viſibile ignis beneficio inviſibile & hoc viſibile & materiale faciendum. Omnia combuſtilia naturaliter igne mutari poſſunt ex una in aliam formam, in carbonem, fuliginem, cinerem, vitrum, colores, lapides, terram, terra vero in varia corpora metallica reducitur. Quod ſi combuſtum vel vetuſtate corruptum metallum invenitur, non ductile, ſed aſperum, fragile vel in pulverem abiens ſi tendatur, bene candefiat, ſuamque ductilitatem recipiet.

Etſi Venus præ cunctis metallis in & extra ignem ductilis eſt omnibus operationibus idonea, hoc tamen combuſtibili Sulphuri omnino non caret, ſed radicaliter eo inquinata eſt, ut & abſque alterius Sulphuris acceſſu exiguo labore facillime in ſcorias reducta corrumpatur, quæ deſtructio à plurimo iſto combuſtibili Sulphure cauſatur. Aurum & Argentum iſtius Sulphuris

expertia, deſtructioni non ſubjacent, ut licet æſtum diutiſſime paſſa, inſtar imperfectorum corporum in ſcorias non abeant, quibus in cineres redigendis combuſtile Sulphur addendum eſſet, imperfecta vero plus ſatis illo abundantia leviſſimo calore in cineres, pulveres, ſcoriaſve mutantur, quæ ſcoriæ in pellucida vel etiam opaca fluida pro metalli natura tincta vitra funduntur: Quæ vitra in ductilia metalla hæcque iterum in cineres & vitra pro lubitu fundi poſſunt, ſed ſemper cum aliquanta deperditione, ob partes aliquas combuſtas in metallum non reducibiles, metallo abſque ulla ſui melioratione, quale in principio erat, permanente. Qui autem metalla non metallicarum quidem, ſed metallis affinium rerum additione, puta Salium, arenæ, lapidumve in pellucida vitra fundere novit, in reductione ſemper melius reperiet metallum, quam initio aſſumſerat. Et ut lector, in cujus gratiam hæc conſignavi, mentem meam penitius aſſequatur, paulo dilucidius exponam. Dixerat ſupra Paracelſus, unumquodque metallum viſibile occultatorem eſſe cæterorum inviſibiliter in eo latentium: occultoremque removendum, ſi inviſibilia metalla viſibilia & corporea eſſe debeant: quod veriſſime dictum neſcio qua luce ſit illuſtrandum: verba etiam ſuccincta, ſed facilia intellectu à nemine creduntur. Ex centum vix unus quid ſibi velint capit, quemadmodum anſer non agnitas gemmas lutulentis pedibus conculcat, ſic & hi ſicco pede tranſeunt, quos cæcitas ſuperbiaque ſimplicem

& vili

& vili habitu deſpicabilem veritatem agnoſcere non permittit. Si Paracelſus Sophiſtarum more prolixos incertoſque præſcripſiſſet proceſſus, majorem fortaſſis fidem meruiſſet, pluresque experimentatores habuiſſet, ſed quia præ ingenuo pudore proximum in avia deducere noluit; ſed veritatem paucis perſpicuiſque verbis prodidit, contemnitur. Portentoſos in hac arte ſuſceptos labores identidem conſpicatus, cæcam hominum ſtultitiam ſatis mirari non potui. Nemo ſtultius ſomniet quam iſti metalla vexant, ſibi invicem proceſſus tranſmittunt, ſecreta ſua quæ credunt, communicantes, utrinque inutilia; expiſcari aliquid ſtudentes ex mutuis ſcriptis, in multa damna ſeſe conjiciunt. Laborantes fideles nugarum conſultores alunt, eadem cum patronis ſcientia in hac arte præditos, quibus prolixiſſimi labores acceptiſſimi prolixiſſima mercede compenſantur. Cavere quoque ſatagunt ne veras ſpecies non recipiant, quarum errore totus labor irritus evaderet: ad auri enim confectionem rubeum requiri Tartarum, ſpiritumque vini ex rubro vino eliquatum, nequaquam vero candidum: neque ad labores lunares aſſumendas ſpecies rubeas, Acetum Spiritus Vini Tartaruſque ſit Argentoratenſis, vel alius cujuſpiam loci, alias operi non congruent. Quod ſi opus non ſuccedit, acetum non genuinum cauſant, aliaſque quamplurimas quas inter laborantes obſervari ineptias, omnes ſupervacaneas, ſi metallorum naturam perſpectam haberent. Veritas enim in hac arte, teſte Paracelſo, ſim-

ſimplex eſt & facilis, ſed rariſſimè creditur & invenitur.

Metalla non niſi forma metallica exuta mutantur: diu enim vel ſolum aliiſve miſtum ſi fluidum ſervetur, corporeum manens alteri opitulari nequit; ſolum vero vel junctim cum aliis deſtructum, ſuumque tempus igne fotum, fieri non poteſt, quin melioratio ſequatur: quamdiu metallicam retinet formam, juvari non poteſt, durum corpus neceſſario frangi & in nihilum redigi debet, prius quam puri ab impuro ſeparatio contingat. Genuino chymicorum more abſque corroſivis cum ſui ſimili ſolvendum lateque pandendum eſt, quò puriores partes uniantur, ſequioreſque ſecernantur. Metallo fortiſſimum ignem ſuſtinere coacto, partes mordicus cohærent, vel enim ſi fixæ, in igne manent, vel ſi ſecus unà avolant, naturæ vinculo eas tenente, contraque vulgarem ignem tuente, quo diſſoluto, ſubdere ſe Mulciberi imperio coguntur, quodque ex ipſis ei facere libuerit permittere. Pudere debebat chymicos laboris ſui tam male cum natura congruentis; à ruricolis laboribus ſuis naturam adjutricem accerſentibus diſcendum erat. Agricolæ ſemen terræ multiplicationis ergo mandaturo non perinde eſt, qualis ſit terra, ſed cuivis ſemini ſuum bene paſtinatum & ſtercoratum agrum eligit, ſuoque tempore granum immittit, ut putrefactum annihilatumque multiplicetur, Soli illud calente & vivificante pluviâ ad maturitatem excoquendum relinquit, probè ſciens,

prius,

prius putreſcendum, formaque omni ſpoliandum eſſe, quam multiplicari poſſit: novit etiam, illud maturitatem adeptum in agro non linquendum, ſed demetendum, vannoque melius gravius longiuſque cadens ſeparandum à leviore deteriore pone cum paleis remanente ſeparandum eſſe: quod ipſum experientia longuſque uſus bonum & neceſſarium eſſe docuit. Hæc etiam Chymico tenenda erant, cum Metallorum alterum alterius ager eſſe poſſit, in quo putreſcens novum ſibi corpus acquirat: quo facto novum corpus à fecibus ex quibus collectum & formatum, i. e. optimum ponderoſiſſimumque à levi acere Vulcani ventilabro ſecernere ſciat; quarum utraque melioratio præcedenti putrefactioni corporumque annihilationi accepta fertur. Ruſtica meliorem lactis partem à craſſiore ſero caſeoque ſeparatura, in locum calidum & quietum reponit, ut præſtantius ſurſum, vilius deorſum ſecedat: iſtoque nondum ſatis puro exiſtente, arte utitur, agitabulo cremorem inditum tantiſper donec rurſus puri ab impuro ſeparatio facta ſit exagitat, quod Butyrum ex Lacte conficere nominant; quod quantumvis diu ſibi relictum nunquam proveniſſet, ni ruſtica artem manumque adhibuiſſet. Quis lacti butyrum ineſſe crederet, ſi non quotidie id videret. Ex celeri agitatione qua lac incaleſcit, hæc butyri ab aquoſitate ſecretio tantum accidit, & ſiquando non ſuccedit, calidam affundunt, tum propter humiditatem, ſeſe cum lactis humiditate miſcentem ſeparationemque promoventem,

quam

quam ob calorem agitationi ſuppetias ferentem caloremque augentem, quo ſeparatio accceleratur.

Hoc quod ignaris videbitur craſſum exemplum, de butyri ex lacte ſeparatione fruſtra allegatum nemo ſuſpicetur, ſed viam commonſtrare, qua ex imperfectis metallis aureum argenteumve lac ſive pars eorum calidæ mineralis aquæ acceſſu igniſque agitatione ſit ſeparanda. Quemadmodum aqua calida lactis humiditatem juvat, quo facilius ſuum heterogeneum, butyrum, ſecludat; (quin & butyri à lacte abſque agitatione ſola calidæ affuſione & coctione ſeparatio incognita non eſt:) ſic & metalla diu cum ſua aqua cocta ſeparantur: quia enim per ſe compacta corpora, licet diu in fluxu detenta, compacta manent, ſuaque vi nec bonum nec malum ejicere valent, ut num aurum argentumve contineant non appareat, cum Aqua diu ſunt coquenda, ut bene diſperſa ex metallica natura transferantur, igniſque agitatione purum ab impuro ſeparetur, quæ purior metalli pars non ſuperficiem, uti butyrum, ſed more metallico, tanquam regium quid, fundum petit, ex miſturâ in eorum effuſâ infrigidatus, à ſcoriis ſeparari, & in cupella ad ultimam puritatem levari (abgetrieben) debet.

Quæ vero iſta ſit huic labori idonea, metalliſque ſeparationem concilians Aqua ſcire operę pretium eſt? nam quia virtute debet pollere metalla ſolvendi, neceſſe eſt ut ſit illis amica, ejuſdem cognationis, vel ut clarius dicam, eorum

rum ſit ſolutrix & examinatrix, hanc vetus Saturnus ſecum fert; ex quo levi opera parari poteſt: ſed vulgaris Saturnus, licet ab omnibus Philoſophis metallorum Aqua decantatus, (verum uſitato cupellarum lavacro talis non deprehenſus,) quamdiu compactus in metallica forma manet, ad hanc rem ineptus eſt, ipſe Aqua fiat prius, quam metalla in Aquam redigat: qui labor facilis eſt, levium ſumtuum, paucarum horarum ſpacio & in Aquam abit, & metalla iſta lavantur. De qua ſequenti de Saturno capite, alibique pluribus agetur. Notandum quoque ſi Cuprum cum Aqua Plumbi ſolutum ſuum tempus digeritur, ſicceſcit humiditas, metallum induratur, vel in corpus metallicum redit, idcirco ſolutio recentis aquæ affuſione, ne mutua actio impediatur) ſemper liquida ſervanda, (quam Philoſophi incerationem dicunt). Qua neglecta, non protinus totum opus periit, ſed elegantiſſima amauſa ſive vitra tincta remanent, quæ inter Cuprum eminet, ſanguineum ruborem de ſe fundens, quo non ſolum lignea vaſa exornantur, ſed & pictores vitriarii uti poſſunt, cujuſmodi rubicunda vitra in antiquis templis reperiuntur, ars vero penitus interiiſſe credebatur, non fortuito, hauddubiè, ſed ſtudio celata ab iſtis qui eam exercentes melius quid ſubeſſe animadverterunt: rubeum enim illud amauſum ſuum tempus forti igni uſtum, regulum demittit, in lavacro Plumbi (im abtreiben) bonum argentum reddentem. Conſultius tamen eſt, ſi ex Cupro argentum petis, non facere rubeum

amauſum, ſed inceratione inſtare ne ad rubedinem delabatur, ſed pellucida, viridis ſolutio uſque dum Venus bene lota ſit permaneat.

Quod alii Philoſophi de Amauſis ſcripſerunt, haud contemnendum, ſed accurate expendendum, uti ex Iſaaci verbis liquet dicentis: Scies vi-
„ trum hoc quod ita conficitur, ſimile eſſe corpori
„ glorioſo: quia feces metalli vitrum fiunt, quæ
„ prius nigrum, immundum, impurum corpus
„ erant. Ac ſub eo corpore latet quinta eſſentia
„ metalli, quæ incombuſtibilis eſt, ac lucet per
„ corpus vitreum ſuo pretioſo colore: quemad-
„ modum anima die noviſſimo in corpore glo-
„ rificato lucebit, velut lucerna poſita in laterna
„ cryſtallina: ac una anima multo clarius luce-
„ bit quam alia, prout Deo placebit: ac alius a-
„ lio multò elegantius ac clarius corpus habet.
„ Pauloq; poſt in hæc verba de reductis Amauſis
„ erumpit: Si fuerit Ferrum aut Cuprum munda
„ ac pura ſunt, ita ut non amplius ſitu aut rubigi-
„ ne infeſtentur, ac à ſuis fecibus vacua ſunt. Si
„ vero Iupiter fuerit, fœtor ac ſtridor ei adem-
„ tus eſt, eſtque mundus ac fortis ut Luna: ſi
„ Luna fixa eſt: ſi Sol, medicina, ac ſi Saturnus
„ fuerit Luna eſt.

Hoc de iis intelligendum Amauſis, quæ formâ pellucidi pro metalli natura tincti vitri apparent, iſta vero, ſpiritualia, in aqua ſolubilia, quorum antea facta eſt mentio, hiſce multis paraſangis ſunt præferenda. Adhæc & illud notandum eſt, non Venus ſolum, cæteraque Metalla per hanc Saturni Aquam in ſolubilia & inſolu-

ſolubilia Amauſa redigi poſſe, ſed eadem mundorum ſilicum ſaliumque additione fiunt, longe pulchriora quam illa ex Saturno; in ſeparatione (ſeigerung) verò viliora, quia ſolvens non usque adeo eſt metallicum, poſtque purgationem regulum non facilè reddunt, uti illa ex aqua Saturnina facta.

Poteſt & alia ratione Sulphur ſuperfluum comburens Veneris citra Saturni vel Silicum aquam Venus ablui & depurari, nempe Sale Petræ: Si Venus aliudve imperfectum metallum ſæpius cum eo mixtum comburatur, puriores partes coëunt Sulphur combuſtibile ſpecie ſcoriæ ſecedit.

Denique etiam aliorum fixorum ſalium beneficio hæc ſeparatio vel ablutio inſtituitur, nulla tamen felicior quam aquâ Saturnina. Sciat vero lector quæ de Venere licet verbis minime phaleratis dicta ſunt, ſuo pondere non carere, quemadmodum ſequentia capita palam facient.

Regula V. de natura virtuteque Saturni.

SIc de ſeipſo loquitur Saturnus: Reliqui ſex me ipſorum examinatorem excluſum, ex ſpirituali urbe exturbarunt, habitationem cum corruptibili corpore adjicientes. Quod enim ipſi non ſunt, nec eſſe volunt, ego eſſe cogor. Sex fratres mei ſunt ſpirituales, quocirca quoties ignitus ſum, corpus illi meum pervadunt, ego in igne pereo ipſique unà mecum, exceptis

duobus optimis, Sol & Luna, meis aquis nitidiſſime lavantur & ſuperbiunt. Spiritus meus eſt Aqua, rigida fratrum meorum corpora emolliens: Corpus vero meum terræ addictum eſt, quicquid complector, terræ quoque conforme redditur, & in unum corpus convertitur. Non bonum eſſet, ſi mundus ſciret, quid in me ſit, quidve valeam. Melius eſſet, ſi hoc meum patrare ſcirent, quod in mea eſt facultate, cunctis Alchymiæ artibus ſepoſitis hoc unicum quod mecum perficiendum eſt, tractarent. Lapis frigiditatis eſt in me, hæc eſt Aqua qua conſiſtere & congelaſcere facio ſex reliquorum metallorum ſpiritus in corporeitatem ſeptimi i. e. Solem cum Luna promovere.

Antimonium duplex eſt, alterum vulgare nigrum, quo Aurum purgatur, cum eo miſtum & fuſum: hoc ex proxima plumbi cognatione eſt. Alterum eſt candidum, Magneſia, Biſmuthum, Stanno proximum, cum alio antimonio miſtum auget Lunam.

Hic habemus Saturnum, ex quo balneum, cujus ſupra meminimus, pro Venere cæteriſque metallis paratur: idque duplex, vulgare & Antimonium, cujus in prioribus meis tractatibus mentionem feci utrumque huic lavacro utile, ſed aliud alio ad alia metalla utilius eſt.

Venus libenter in Saturnum ingrediens rectiſſime vulgari Saturnina aqua lavari ſepararive (geſeigert) poteſt; Mars & Jupiter nequaquam quia igne forti apud vulgare Plumbum non perſeverant, ſed in ſuperficiem ſecedentes

inſtar

inſtar ſcoriarum inde illoti abſtrahuntur. Antimonium vero iſta avidiſſimè recipit, retinet, lavat, quod vulgari Saturno impoſſibile. Optimè ergo à Deo factum, qui voluit ut præter vulgare etiam hoc Plumbum eſſet, quo & cum vulgari Saturno non congruentia metalla lavari atque ſeparari queant.

Certiſſimum igitur eſt, quod Saturnus hic de ſeipſo affirmat, nimirum. Mundum quod in ſe latet non credere, neque ut ſciat conducere, Corpus ipſius corruptioni maximè obnoxium, alia quæ adduntur metalla ſecum terræ ſimillima reddit, excepto Auro & Argento, quæ reſiſtunt, ejuſque aquis mundantur, uti apud ſeparatores (abtreibern) videre eſt, uti Cuprum, Ferrum vel Stannum cum Plumbo fuſa ſuper cupella, in lithargyrium (glett) vel ſcoriam evadunt in poroſum cupellæ cinerem deſcendentia terra fiunt, cujus cauſa eſt Sulphur illorum comburens Sulphuri Saturni ſimillimum. Aurum vero & Argentum ejuſmodi Sulphuris expertia à Plumbo immunia ſunt, nec in terram cineremve transmutantur, eoque ſuper cupella remanent.

Paracelſus tamen hic aliud quid innuere videtur, de tranſmutatione Saturni cum aliis metallis loquens, tam ad univerſalem (ut conjecto) quam ad particularem metallorum per Saturnum tranſmutationem ſpectans. Poteſt & Saturnus, uti aliorum metallorum Aqua & lavacrum eſt, ita à ſalibus, quæ ipſius ut mox evincam Aqua ſunt, ipſe lavari.

Sed quod de Saturni, quem tanti facio, natura

 & vir-

& virtute prolixior non ſim nemo miretur: frequentiſſimè enim jam facta eſt ejus mentio, & poſthac fiet, ut eandem toties recoquere crambem non libeat, caput caput illuſtrat, conſulas & alios ubi de Saturno egi tractatulos, ex quorum jugi lectione quin mentem meam percipias nullus dubito.

Quæ Paraçelſus de Antimonii differentia ſubnectit, per ſe patent, lucis, non indiga: vulgare enim Plumbum & Antimonium (licet Sulphuris diverſitate multum diſcrepantia) nigrum à Philoſophis vocatur plumbum, Biſmuthum cinereum; Stannum candidum apud antiquos metallurgos plumbum cluet, de quibus appellationibus, veteribus ſua relinquentes haud diſceptabimus.

Regula V. I. de Luna ejuſque natura & proprietate.

SIquis lunam redacturus eſſet in Plumbum vel ferrum, tantæ difficultatis erit atque cum inſigni quæſtu ex Mercurio, Iove, Marte, Venere, Saturno, Lunam facere; ex bonis vilia facere non decet, ſed ex abjectis pretioſa. Sciendum etiam cujus ſit materiæ Luna, & unde orta: hoc neſcienti Lunam facere impoſſibile erit. Quæſtio. Quid eſt ergo Luna? Ex ſex metallis in ea occultis ipſa eſt ſeptimum externum, corporeum, materiale: ſemper enim quod ſæpenumero dictum, ſeptimum reliqua ſex intra ſe ſpiritualiter abſconſa habet: neque etiam hæc

ſex

ſex abſque externo, materiali metallo eſſe poſſunt, neque ullum corporale metallum abſque ſex ſpiritualibus eſſe, cumque eorum eſſentia locum invenire poteſt. Conflantur quidem 7. corporea metalla, ſed nihil ad aurificium facit; poſt miſtionem pro ſua quodque natura fixum in igne manet vel volatile e. c. Miſce prout potes Mercurium, Iovem, Saturnum, Martem, Venerem, Solem & Lunam, non ideo Sol & Luna cætera 5. mutabunt, ut de ſe Aurum & Argentum fiant: quamvis in unam maſſam ſint conflata, unumquodque tamen manet quod eſt, ſcilicet ſi de corporali miſtione accipias, de Spirituali metallorum miſtione & affinitate tenendum, quod nulla ſeparatio ſpirituumque mortificatio detur. Quibus ſi unica hora centies corpus occidendo auferres, ſemper tamen aliud priore nobilius corpus habebunt. Atque hæc eſt metallorum promotio ex una mortificatione in aliam, i. e. ab ignobiliori gradu ad altiorem, i. e. Lunam, & à meliore ad optimum i. e. Sol illuſtriſſimum planeque regium metallum.

Verum quoque eſt ſemperque erit, quod antea ſæpe dictum, quod ſemper 6. metalla ſeptimum generant, inque palpabilem viſibilemque ſubſtantiam de ſe edunt.

Quæſtio.

Iam ſi ita eſt, quod Luna aliudve quodvis metallum nunquam non à 6. reliquis cauſatur & producitur, quænam ergo eſt ejus proprietas & natura?

℞. Ex Mercurio, Iove, Marte, Venere, Saturno, Sole nullum aliud fieri poteſt metallum quam Luna ratio eſt, quod ex cæteris 6. metallis ſingula duabus bonis virtutibus ſint prædita, quæ ſummatim 12. conficiunt: hæ virtutes ſunt Spiritus argenteus, quod breviter, ſic habe. Argentum ex 6. Spiritualibus metallis eorumque proprietatibus, numero 12. in corporeum metallum eſt compoſitum, aſſimilatum 7. Planetis, duodecimque ſignis cœleſtibus. Luna enim habet ex Planeta Mercurio, & ♒ atque ♓ fluorem lucidum candidumque ſplendorem. ☿ ♒ ♓ Etiam ☾ ♃ ♂ ♉ album colorem, magnamque contra ignem conſtantiam (fixitatem) habet. ♃. ♂ ♉. A ♂ ♋ & ♈ duritiem bonumque clangorem. ♂ ♋ ♈. à ♀. ♊ & ♎ modum coagulationis & ductilitatem. ♀ ♊ ♈. Ex ♄ ♑ & ♏ corpus fixum cum gravitate. ♄ ♑ ♏. ex ☉ ♌ & ♍ ſinceram puritatem magnamque adverſus ignis violentiam conſtantiam. ☉ ♌ ♍. Sic breviter explicatum, quæ ſit exaltatio & cauſa ſpiritus corporiſque argentei cum ſua compoſita natura & eſſentia.

Sciendum quoque, qualem materiam ſpiritus metallici in prima ſua nativitate, cum de cœleſti influxu in terram deferuntur, ſuſcipiant, videlicet lutum vile, lapidem: quem foſſor comminuendo corpus metalli deſtruit ignique comburit, in qua mortificatione ſpiritus metallicus aliud corpus aſſumit, non friabile, ſed purum, ductile: dein Alchymiſta ſuperveniens corpus hoc metallicum deſtruit, occidit arteque

præpa-

præparat, metallicus verò iſte corporalis ſpiritus iterum aliud, multo nobilius perfectiuſque corpus ſibi capit foris conſpicuum, ſive Sol illud ſit ſive Luna tunc ambo, metallicus ſpiritus & corpus perfectè unita à corruptrice ignis Elemento tuta exiſtunt.

Hoc ſexto cap. in prioribus ſæpius inculcata verba repetit Paracelſus, nempe, omne metallum viſibile cæterorum ſpiritualiter in ſe latentium metallorum occultatorem eſſe, impoſſibile eſſe docens corporalia metalla, licet diutiſſime ſimul liquata, meliorari, quin Spiritualia prius efficiantur. Quod ipſiſſimam veritatem, veramque ad tranſmutationem viam eſſe aliquoties oſtendi, rationem vero qua ſpiritualia reddi munirique debeant expreſſis verbis non docet neque etiam offam penitus præmanſam ori ignavorum ingerere convenit. Hujuſmodi ſpiritualiſationis rationem eſſe ajo, quod ſcil. Paracelſus non velit metalla ſpiritibus corroſivis ſoluta, digeſta & cum ſpiritu ſæpius cohobata per alembicum elevari: quam hic innüit ſpiritualiſatio non fit per corroſiva, quibus magis corrumpuntur, quam perficiuntur, neque in vitris, ſed crucibulis, paucarum horarum ſpatio abſque corroſivis, qua adeo depurantur & comminuuntur ut in & extra ignem tranſpicere valeamus, in quavis aqua liquabilia. Hæc eſt vera metallorum ſpiritualiſatio, quæſtuoſa ſi prædictas proprietates habeat: à Philoſophis alias prima metallorum materia vocatur, hodie pauciſſimis cognita. Noſtri laborantes nullos

norunt ſpiritus metallicos, niſi quos peregrinarum & noxiarum rerum adminiculo per alembicum vel retortam pellunt, ad meliorationem teſte experientia prorſus inutiles. Quamvis vero veteres Philoſophi ſcribunt, fac fixum volatile & volatile fixum, nolunt tamen metalla in altum tolli, de qua ſublimatione vel deſtillatione nihil ipſis conſtabat, ſed omnes laboresmetallicos, nimirum : ſolutionem, putrefactionem, deſtillationem, ſublimationem, calcinationem, incerationem, cohobationem & fixationem pariter in uno fictili vaſe, abſque corroſivis abſolvere ſatagentes ridiculis vitrorum beneficio factis laboribus ſeſe non fatigarunt, qua de re alibi plura.

Diligenter modo legantur & relegantur, quæ Paracelſus ſub calcem capitis ſcribit, & cum de fuſione, non deſtillatione ex vitris agere patebit ubi oſtendit, ſpiritum metallicum cum primum ab aſtris deorſum in terram demittitur viliſſimam habere formam, tanquam lapis vel lutum, quam foſſor deſtructum igne forti fundit, quo meliorem formam nanciſcitur & metallum ductile evadit; hic ipſe ſubſiſtit, ulterius pergere neſcius. Hunc dicente Paracelſo Alchymiſta excipit, corpus metallicum arte deſtruens, occidens præparanſque, quod ex hoc labore nobilius fixiuſque corpus Aurum vel Argentum pro maturitate ſua dictum, aſſumit. Luna utut purior præſtantiorque Cupro, Ferro, Stanno, & Plumbo, nondum tamen ſuam maturitatem adepta ad Solem comparata inſtar floris eſt, præſtan-

ſtantioris quidem herbâ, ſemine vero inferioris, perfectiſſima herbæ parte. Quemadmodum in Vegetabilibus Flores elegantiori colore præditi ſunt atque ſemen vel fructus: ſic & Luna abundantior eſt tinctura, quam Sol, quod ſæpenumero expertus multis exemplis demonſtrare poſſem. Contra, etiamſi flos forma, colore, odore, ſemine, ſuperior bonitate tamen & duratione, jure eſt inferior: quia flos frigida tempeſtate decidit, ſemen vero durat, & ſi juvatur novam herbam, cum floribus ſemineque profert, quo ſpecies ſua conſervatur & propagatur. Utque in Vegetabilibus herbæ maxima eſt pars, minor floris, minima ſeminis: ſic & in Mineralibus eundem obſervat ordinem, per ſe aptiſſimum; ſi enim natura meros flores & ſemina proferret, & nullam herbam, unde vaccæ gramen eſſet, quo ventriculum farciens ruricolæ fimum præbeat agris pro nova herbarum ſegete ſtercorandis neceſſarium.

Plus tincturæ in Luna abſconditum eſſe quam in Sole, indubitatum eſt; cujus intimum mera rubedo, auri vero centrum fixiſſimum ſplendidiſſimumque eſt cæruleum, quod probè notandum.

Cæteras Lunæ proprietates referre nihil attinet, vulgo notiſſimas, quod proximum ab auro locum puritate & fixitate obtineat, in metallicis rebus flori aſſimilanda: Sulphuris comburentis & prædatricis naturâ plane expers, ſed nondum ad perfectionem excoctum commodiſſimum eſt vehiculum ex volatibilibus, immaturis mar-

caſitis aliiſque auriferis mineris aurum extrahendi & corporeum faciendi : qua de re antea ſcripſi & impoſterum plura ſcribam.

Regula VII. de Sole ejuſque natura & proprietate.

SEptimum ex 6.ſpiritualibus metallum eſt Aurum corporale, per ſe merus ignis: ſed quod foris eleganti, flavo, viſibili, ſenſibili, ponderoſo, frigido ductilique corpore ſpectatur, ratio eſt, quod cæterorum 6. metallorum coagulationes penes ſe habet, quâ in viſibile corpus cogitur: & quod ab elementali igne liquatur, inde eſt, quia fluiditatem ex Mercurio, Piſcib. & Aquario. Spiritualiter in ſe abſconſam habet, id quod & foris verum conſpicitur, quia facillime cum Sole miſcetur & ab eo detinetur.

Quod vero poſt liquefactionem, ceſſante igne, frigoreque foris ingruente indureſcit, i. e. coagulatur & riget, ex cæteris quinque metallis Iove, Saturno, Marte, Venere & Luna eſt. In hiſce V. metallis frigus cum dominio habitat, eoque extra ignem Aurum fluidum eſſe nequit propter frigus: neque ei Mercurius cum ſuo æſtu, natura & fluore ſuppetias ferre poteſt adverſus reliqua 5. frigida metalla, ut calor ejus Auro ſufficiat, quo in perpetuo fluxu exiſtat: cæteriſque igitur magis quam unico Mercurio obtemperare cogitur, qui in metallorum coagulatione nullum locum habet, cujuſque proprium non eſt durum ſed liquidum facere. Liquare

quare caloris opus eſt atque vitæ, frigus vero duritiei, rigoris immobilitatiſque cauſa eſt, morti aſſimilata.

Exemplum ſic habet. Si 6. frigida metalla ad fluiditatem redigere velis, ſive ſit Iupiter, Venus, Saturnus, Mars, Luna, Sol, ignis calore id effectui dandum, nive enim & glacie frigidis, metalla non liquantur, ſed condurantur. Sed quamprimum igne liquatis calor deficit, irruit frigus, quo metallum conſiſtit, riget, moritur & immobile manet. Quia ergo Mercurio ſemper fluidus & vivus eſt, dicito quæſo, num ex calore vel frigore talis ſit? Dicet quis, ob frigidam humidamque naturam, & ex frigore vivum eſſe; qui hoc dicit creditque veræ naturæ rudis eſt, cumque vulgo fallitur & ſeducitur, quod de omnibus rebus non niſi ſiniſtrè credit, à quo temperandum ſiquis veritatem verè noſſe velit. Mercurius enim non ex frigore, ſed calore igniſque natura vivus eſt, ut & quævis res vivens ignis eſt. Nam calor vitæ, frigus mortis cauſa eſt. Quod vero Aurum in ſe merus ſit ignis non vivus quidem, ſed durus, Solum ignis calorem foris oſtentans, flavum puta rubeo miſtum: & 5. metalla frigida ſunt Stannum, Ferrum, Plumbum, Cuprum & Argentum ſuas auro virtutes conciliantes, juxta frigiditatem corpus, juxta ignem colores, ſecundum ſiccitatem duritiem, ſecundum humiditatem gravitatem, ex reſplendeſcentia clangorem: & quod ab elemento terreni ignis non comburitur nec deſtruitur, ex ejuſdem fixitate eſt. Ignis ignem non combu-

rit

rit, neque deſtruit, ſed ignis igni junctus major fit & viribus potentior. Cœleſtis ignis à Sole in terreſtria demiſſus non eſt ignis qualis in cœlo eſt, neque qualis ignis noſter in terris, ſed ignis cœleſtis apud nos eſt frigidus, rigidus & congelatus ignis & hoc eſt corpus auri, ideo igne noſtro aurum non domamus, tantum dividimus & liquamus illud, uti Sol nivem & congelatam glaciem aquamque diſſolvit & liquat: quapropter igni ignem deſtruere conceſſum non eſt, quia ipſum Aurum ignis eſt; in cœlo eſt reſolutum, apud nos verò coagulatum.

Aurum in triplici eſt Statu cum eſſentia ſua.

1. Cœleſte		reſolutum.
2. elementare	eſt	liquidum.
3. metallicum		corporeum.

Finis VII. Regularum.

DElabimur ad præſtantiſſimum regiumque metallum, Aurum, quod Paracelſo, puro puto igni comparat, qualis etiam, ſi in partes ſeparatur, deprehenditur eſſe, ſeminiſque natura præditum, calidius ipſa herba & flore. Sed quid de ejus melioratione ſcribemus, qua non eget, jam in ſummo perfectionis gradu conſtitutum, quod natura altius promovere non valet: ſi vero melius quid ex eo faciendum ſit, medicina fiat oportet quoniam nunquam viſum eſt metallum eo præſtantius. Herba in fertili

ſolo

ſolo Solis calore ad ſuam perfectionem perducta, ſemine maturo ea forma non permanet, ſed exareſcit, ſemen excidit, ſed opportune collectum, diu durat, terræque pro lubitu reddi poteſt, ut ſuæ ſpeciei novas herbas edat, vel ad humani generis ſalutem adhibetur, præterque eam vix notabili uſui eſt. Similiter Aurum perfectionem nactum, ſi ulterius provehendum, medicina eſſe debet vel ſeminis inſtar metallicæ terræ reddi, ubi putreſcens & augeſcens novum germen metallicum exhibeat. Bonam ex eo medicinam multifariam parari nemo neſcit, ſed pauci modum tenent: quod vero tanquam ſemen vegetabile ex imperfectis metallis, terra ſua, incrementa facere poſſit Paracelſus hic docet, multique Philoſophi teſtantur: quod non in particulari ſolummodo melioratione, qua ex imperfectis ſuum ſimile attrahens augetur, verum eſſe creditur, verum etiam, quod ex eo intima vis vegetativa, puriſſimaque portio, depoſitis quibus veſtitum ſiliquis, periti Philoſophi metallici induſtria ſeparari, & ad pluſquam perfectionem exaltari poſſit, licet pluribus incredibile, tamen ni univerſam Philoſophorum turbam mendacii redarguere velimus, minime dubitandum videtur.

Objiciat quis: nonne jure merito de tali opere, in quo plurimi operam oleumque perdiderunt, dubitabo, quin non potius cum multitudine Philoſophorum effata ſomnia & mendacia credam. Hujuſmodi Thomiſtis, ſi incredulitas ex invido ac ſuperbo corde non eſſet, condonan-

donandum, quorum talentum tantum myſterium aſſequi non valet: quomodo enim de coloribus pronuntiabit cæcus qui eos nunquam conſpexit? unde quis ignem calidum, aquam humidam dicet, quos nunquam contrectaverit? Ita nec hi de rebus prorſus incognitis judicium ferunt. Quod multi in horum ſcrutinio fruſtra deſudarint, artis veritati nihil præjudicat, nunquam eo res deveniet, ut qui modo ignem ſufflare norit, ad hæc abſtruſa penetret; aſt qui multa induſtria impenſiſque metallorum naturam ignis beneficio indagare non detrectavit, hæc probe percepta crediturus eſt. Ipſe quamvis rei tam arduæ nunquam manum admovi, eam in rerum natura eſſe credo & profiteor, qui ex aliis metallicis laboribus hujuſmodi medicinam in artis eſſe poſſibilitate evidenter notavi, cui ſuo quoque tempore, ſi Deus vitam otiumque concesserit operam ſtudiumque dicabo.

Quæ ſint aliæ auri proprietates, quibuſque modis bona ex eo parentur medicamenta in meis ſcriptis paſſim dictum, ſed ſuo loco pluribus dicetur. Quo acquieſcentes libellum de VII metallorum regulis concludimus.

Deus & Natura nihil fruſtra faciunt.

Æterna omnium rerum civitas [æternus omnibus rerum locus] abſque tempore, abſque principio & abſque fine, ubique tota eſt eſſentialiter: operatur in quo nulla eſt ſpes: & quod impoſſibile judicatur, quod in exſpecta-

tum,

tum, incredibile planeque deploratum eſt, mirabiliter verum erit.

Paracelſus ſeptem de metallorum proprietatibus regulis finitis incipit ſuam ſententiam quadantenus repetere, & illuſtrare, conſolans operatorem ne animum ſi res non protinus ſuccedat deſpondeat, ſed ingenioſe pergat, quia Natura nihil fruſtra facit, quod minimè creditur, maxime evenit, cujus verba per ſe clara ſunt.

Item: Nota jam res ſuper Argentum vivum.

Quicquid dealbat, eſt vitæ natura, lucis proprietas & virtus, quæ vitam cauſat facitque. Huic motioni ignis cum ſuo calore nativitas eſt. Et quicquid denigrat, eſt natura mortis, tenebrarum proprietas & virtus [efficacia ſive vis] quæ mortem cauſat. Cui indurationi terra cum frigore coagulatio & fixatio eſt. Domus ſemper mortua, incola vero eſt vivus ignis. Si verum exemplorum uſum inveneris, viciſti.

Paracelſus hic de Mercurio loquens ignis meminit, qui ſuo calore ſit lucis vitæque cauſa omne denigrans vero mortis cauſa exiſtat: ubi ſubſiſtens hæc pauca, ſed prægnantia verba ſubjungit.

Pingues adole verbenas.

℞. 8. lotones ſalis nitri, 4. lotones ſulfuris, 2. lotones Tartari, miſta fluant.

Hic Alchymiſtarum querelæ incipiunt, quia Paracelſus de materia tam bona ſcribens tam ſubito

bito filum abrumpit, tale addens Recipe quod ipſorum judicio cum Mercurio non congruit, ſed ei uti pugnus oculo quadrat. Omnino ut nobis ægrè faceret imponeretque Mercurio bonum pulverem fuſorium adjunxit, quo alias difficulter liquentia metalli reducuntur, hic vero plane ſupervacaneum, quia ipſe innata ignea vi & calore ſemper fluit, noſque hujus fluoris ſuper ipſum non egemus ſi hujus loco quo pacto coagulandus figenduſque adſcripſiſſet, nihil libentius audiviſſemus, ipſique pulverem fuſorium lubentius reliquiſſemus. Tales ſuam ipſorum oſcitantiam, non Paracelſum bene ipſis cupientem accuſaſſe debebant: verba proximè præcedentia excuſant eum dicentem, Deus & Natura nihil faciunt fruſtra: quibus ſubindicat, non demirandum eſſe hunc pulverem, quaſi ad Mercurium non pertineat, jam plus ſatis fluxilem, ejuſque non indigum, ſed Alchymiſtæ vexandi gratia adſcriptum: nequaquam: Paracelſus enim hunc celerem fluorem ejuſque in metalla operationes melius novit quam qui conqueritur de iſto. (incredibilis eſt in metallis utilitas, ſiquis eo uti ſciat), eoque huc appoſuit, ut ſummam ejus erga metalla vim & efficaciam perdiſcamus, quod nos præmiſſa ejus verba etjam admonent. Operatur ubi ſpes non eſt, quod impoſſibile judicatur, inexſpectatum, incredibile, deſperatumque eſt, mirabiliter verum erit. Cur ſtupendum hunc ignem ſi hujus loci non eſſet, addidiſſet? Haud dubie Mercurii alas comburere, eoque fugam ejus ſiſtere novit. Cum hoc

hoc quamvis Mercurium figere, neſciam, tam in metallis quam in Mercurio portentoſa ſum expertus, ſi metalla præcipue Mercurius Philoſophice juncta ſublimentur & deſtillentur, mirabilia menſtrua exhibent. Hic dicitur Pingues adole verbenas. Sulphur ſuperfluum in metallis imperfectis cauſam eſſe vilitatis eorum notisſimum, quod comburere huic igni conceſſum impoſſibile vero eſt, omnes illud ſcire, uſu & diligentia opus eſt, ſi velis Icarum, cum patre Dedalo volaturum, ſed à ſole (cui plus ſatis propinquabat) combuſtis alis in mare decidentem aquis ſubmergere. Quod ſufficiat, Sapienti enim ſat dictum: pergamus ergo.

Quid de Mercurii coagulatione ſentiendum.

Nihil etiam attinet Mercurium occidere, coagulare, ac tum demum in Lunam redigere, multumque ſublimationibus aliiſque rebus fatigare, quod non niſi Solis Lunæque in ipſo eſt perditio. Alia eſt compendioſiorque via, qua Mercurius fit Luna, minimorum ſumtuum, abſque ullo coagulationis labore. Omnis vero homo in Alchimiſtarum ſcriptis artes legere geſtit, viles paratuque faciles, quibus brevi ſpacio plurimum Auri Argentique conficeret, iſtorum ſcriptorum pertæſus quæ non perſpicue& nudè quid faciendum ſit edocent, ſic & ſic facito, (libenter audiret) & habes bonam Lunam & Solem unde diteſcas. Exſpecta bone pauliſper, donec tibi ſuccinctis verbis abſque ullo labore aperiatur, ut arripiens momento ex Saturno, Mercu-

rio & Iove Solem & Lunam facias. Nunquam tam erit notum artificium, quam leve & breve in ſe eſt. Aurum Argentumque tam facile Alchymiæ arte conſiunt, ut libros vel verba de eo facere non magis ſit neceſſarium quam de nive præteriti anni.

Pergit Paracelſus dicens, non opus eſſe Mercurium coagulare, ut Aurum & Argentum ex eo fiant, quod facillimo negotio patratur, eoque pluribus verbis non indigere. Paracelſus hic diviti iſti comparandus, quem, cum multos fame perire audiſſet reſpondiſſe fabulantur, priuſquam inedia ſe torqueret, malle lardo ac piſis veſci, omnes hoc edulio abundare credens, quo ob mollitiem ſpreto jure merito perirent. Sic & bonus Paracelſus omnes Chymicos cognitione metallica ſibi æquales credidit, non cogitans tot pauperculos eſſe carbonarios ſolvendo, præcipitando, ſublimando, reſuſcitando, fixando aliiſque laboribus Mercurium torquentes, ignorantes vero quid ſit, quid in eo abundet deficiatve, ſed abſque cognitione operam oleumque deperdentes.

Mirabilitatis ſubjectum eſt Mercurius Alchymiſtis illudere ſolitum: cui vice verſa illudere ſi lubet, cum eum fatigas, reſpiraculum des, (quia vi non cogitur,) ut parum obambulet, nimium vero ne confidas, ne avolans vacuum nidum relinquat. Huic operi furnus primus multis vitris probè aptatis optime conveniet. Quid multis, ſubjectum eſt inexhauſtæ mirabilitatis, quod ex omnibus metallis, ſatis gnaviter à me exploratis

con-

contumaciſſimum ſemper habui, credo tamen ſi quis eum recte adminiſtrare norit, lucrum haud ſpernendum exinde proventurum. Sed quis viam commonſtrat? ſemper miracula nobis incognita ſupereſſe debent: quamquam vero non cuncta ſciamus, pro eo tamen quod ſcimus meritas Deo gratias deberi fatemur.

Recepta Alchymiæ.

Quid de multis Receptis, variiſque vaſis dicemus? qualia ſunt Furni, Vitra, Teſtæ, Aquæ, Olea, Salia, Sulfura, Antimonium, Magnifica, Sal nitri, Alumen, Vitriolum, Tartarum, Borax, Atramentum, Auripigmentum, Fel-vitri, Arſenicum, Calaminaris, Boli Armeni, Rubrica, Calx, Pix, Cera, Lutum Sapientiæ, Vitrum contuſum, Viride æris, Sal armoniacum, Fuligo piceæ (Kien-ruß) Creta, oletum humanum, Pili, Teſtæ ovorum, Lac Virginis, Ceruſſa, Minium, Cinnabaris, Acetum, Aqua fortis, Crocum Martis, Elixir, Laſurium [Ultro-marinum] Sapo, Tutia, Haver-gold, Cryſtalli? quid ſibi vult præparare, Putrificare, digerere, probare, ſublimare, calcionare, ſolvere, cæmentare, fixare, reverberare, coagulare, graduare, rectificare, amalgamare, purgare? harum rerum Alchymiſtarum libri refertiſſimi ſunt: ut & quæ beneficio herbarum, radicum, ſeminum, lignorum, lapidum, animalium, vermium, oſſeorum cinerum, teſtarum cochlearum, muſculorum, picis perficiuntur.

Hæc omnia ſunt Alchymiæ ambages, ma-

gnique & caſſi labores: quin & ut horum medio Sol & Luna fieret, ob multitudinem tamen opus plus impeditur quam promovetur: Idcirco vere diſci nequit ex hiſce prædictis Solem & Lunam conficere, ſed omnia mittenda ſunt, quæ non cum 5. imperfectis metallis operantur ut Aurum Argentumque producant.

Quænam ergo eſt vera via breveque compendium omnis difficultatis expers, tam celeriter minime fucatum Aurum & Argentum fundens? Quouſque illud aperire ceſſas? tibi ipſi nihil hac de re conſtare credo, dicat non nemo, ſed hiſce ambagibus tantum illudis? Reſp. Dictum jam eſt, inque VII. regulis ſatis patet, qui non capit, ei conclamatum eſt. Nemo quoque eo procedat dementiæ, ut ſibi perſuaſum eat, rem fore intellectu facillimam, vulgoque notiſſimam: id nec eſt, nec eſſe debet: ſed occulto ſenſu adhuc melius intelligetur. Hæc eſt ars. Si cœlum ſive Sphæram Saturni cum Vita currere facis in terra, impone Planetas omnes vel quos voles, verum ne Lunæ ſit nimium, ſed minimum. Currat ita tamdiu, donec cœlum Saturni omnino diſparuerit, Planetæ ſoli remanent, mortui cum ſuis antiquis corruptibilibus corporibus, aſſumſeruntque novum, perfectum, incorruptibile corpus; illud corpus eſt ſpiritus cœli, à quo Planetæ iterum corporea & viva fiunt ut antea. Corpus iſtud novum aufer de vita & ex terra, & ſerva, eſt enim Sol & Luna. Sic artem habes plane detectam & junctam. Si nondum intelligis, teneſque, bene

eſt:

eſt: ita enim eſſe decet, nec publice divulgari.

Hoc capite Paracelſus tot ridiculis ſpeciebus ad metallorum tranſmutationem opus non eſſe docet, ſed metallis in ſe invicem rite conjuncta aggredi & meliorandi ſatis virium ineſſe: in quibuſdam tamen laboribus ſalibus mineralibuſque carere non poſſumus, quia idonea ſunt emolliendis duris metallis, & ad ſuſcipiendam meliorationem diſponendis. Notandum verò ut corroſivis omiſſis, iſta tantum, quæ metallis amica ſunt, uſurpemus. Poſſunt & alia Mineralia foſſiliaque, in fuſione, eliquatione (Seigerung) ſeparatione aliiſq; metallicis operationibus, tanquam additamenta (als Zuſätze) fructuoſe uſurpari: quod nec Paracelſus negat, ſed ſolummodo ridiculos imperitorum Alchymiſtarum compoſitiones, quibus in aurificio ſuo utuntur, à metallis alienas, jure merito rejicit, artis ſtudioſum dehortatur & in rectam ſemitam deducere conatur.

Deinde docet, ſed ſenſu occulto, quomodo & quo pacto bonum & in omni examine ſincerum Aurum & Argentum ex imperfectis metallis eliciendum: idque adeo obſcure, ut nemo inde rem diſcere poſſit, ſed ii tantum qui jam ante aliquid ſciunt, ſimileſque labores ſub manibus habuerunt, ſenſum ejus aſſequantur. Inficias iri nequit, quin hic Proceſſus multis multum negotii faceſſerit, qui nihil invenerint: nonnulli tamen caſu ei immerſi, veritatem ejus deprehenderint. Cujuſmodi inventionum pleræque fortuitò obtingunt, dum, illo, quod quæ-

rebat, caſu perdito, in aliud incidit ſæpe præſtantius eo quod intendebat. Quis nobis indicaſſet albedinem in nigro plumbo, in Cupro viriditatem, rubedinemque in Ferro & Argento vivo latere, ſi non ex accidenti nobis innotuiſſet? Sic & mihi plurima non quæſita, innotuerunt, quemadmodum & mei labores maximam partem artium Paracelſi, non ſcripta ipſius manifeſtarunt. Quis indubitato docebit, quid hoc ſyrmate voluerit? ſagittarii multi ſunt, ſed pauci rem acu tangunt. Neque etiam neceſſarium videtur præter dicta metalla nulla alia recipere, quod ipſe Paracelſus in ſuo præſcripto Proceſſu innuit, dicens cum cœlum vel Sfæram Saturni cum vita currere facis in terra, inſere Planetas omnes vel quos vis, verum ne Lunæ ſit pars maxima, ſed minima. Ex quibus verbis aperte conjiciendum, maximam Saturni partem eſſe debere, quo reliqua metalla laventur & purificentur, Lunæ vero minimam. Sed quis hic Lunæ locus per ſe puræ, cui lavacro non opus eſt, roget quis? jam ante alicubi reſponſum eſt, eam elotum purificatum tenerumque Aurum ad ſe trahere, tueri & corporeum facere, alias in ſcoriis manſurum: hujuſmodi tamen ſeparatio (Seigerung) etiam abſque Luna fieri poteſt, ſed non æque quæſtuoſa. Neque etiam neceſſe eſt metalla conjungi, unaque opera cum Saturno lavari, ſingula ſeorſum aſſumi & mundari poſſunt: niſi quis plurima notitia præditus hujuſmodi compoſitionem inſtruere norit, qua opus facilitetur pluſque auri exhibeat, id quod

probe

probè obſervandum, ſi vel nullum, vel parum argenti, recipitur: Si enim Argentum non ſumis, Cuprum addendum proximum Auro & Argento ductilitate, volatileque atque immaturum Aurum ex imperfectis metallis attrahit, in igne tutatur, ſed longe debilius ipſo Argento. Stannum enim atque Ferrum impuriſſima & aſperrima metalla, poſſent quidem licet difficulter, cum plumbo lavari, ſpiritualique & occulto ſuo Auro privari, ſed longe majori labore & impenſis quam ſi Argentum vel ad minimum Cuprum aſſumtum eſſet. Si enim hoc ſcimus, cur non eadem opera ſuum cuique additamentum pro celeriore & ditiore opere dabimus? operæ enim pretium eſt bonam metallorum mixturam tenere per Saturnum cum fructu lavandorum, in in qua quantum ſitum ſit nemo credit, nec ego quidem, ſi non cum damno didiciſſem. Cum enim ſuperioribus annis in hujuſmodi lotorio vel ſeparatorio opere quærerem, bonamque probam interdum invenirem, pondus vero ignisque gradum non exactè obſervans, laborem repetere inſtituiſſem, enormiter ſæpe aberravi: Et quamquam in hoc opere aliquot annos multum inſudans, multa haud pænitenda bona expertus ſim, optimam tamen prædam cepiſſe gloriari non audeo, ſed fruſto panis acquieſcendum: verùm deſperandum non eſt, bonæ res lente procedunt, ante roſas gemmæ ſpinis obſitæ exſurgunt quod ſi pondera didiceris, tuta eſt res, opuſque in magna quantitate inſtituere non dubitabis.

Pergit Paracelſus jubens, ut impoſiti Planetæ cum Saturni cœlo tamdiu currant, donec cœlum Saturni evanuerit, ſtabunt Planetæ novo corpore accepto, ex vita & de terra auferendo, quod Sol & Luna erit. Quæ verba varii variè explicarunt, præſertim quid ſit cœlum Saturni, perſuaſi, ſi modo hoc ſcirent, ſe de reliquo recte ſtatuere poſſe. Plerique vulgarem Separationem (abtreiben) peculiari Saturno factam intelligunt, recipientes regulum ſtellatum Antimonii, ſtellam cœleſtem præ ſe ferentem, quem cum Vita, quam Ignem interpretabantur in terra (cupella vel teſta treibſcherben) difflarunt, relictis ſuper teſta corporibus, tanquam metallis mortificatis, quæ fluoris adminiculo reducentes, cum Plumbo fundentes (angeſotten) Aurum & Argentum ſibi polliciti, ſe erraſſe deprehenderunt, Paracelſumque Sophiſtam & Impoſtorem declamarunt, quia per ipſius ſcripta Auri Argentique pondera non actutum conficere norunt. Quid propriè ſit Cœlum hoc Saturni, varie explicari poteſt. Non incommode Plumbum vulgare intelligeretur, quia liquatum ſplendet & volvitur: vel ipſius Vitrum, quod in igne fuſum inſtar Solis relucet; vel etiam regulus Antimonii ſtellatus, quia fractus ſtriis ſuis ſtellam refert. Quid vero juvaret, ſi Cœlum Saturni ſciens veram ei requiſitam Vitam, mortuorumque & reductorum corporum reductionem neſcires? Ignis vulgaris vita cujus Paracelſus meminit non eſt, ſed per hunc ſuſcitari poteſt, quemadmodum, ait,

Ignis

Ignis eſt ad hunc motum cum calore ſuo nativitas ejus. Si per elementarem ignem Vita intelligeretur, & per Separationem (abtreiben) Saturni, vel difflationem reguli Antimonii curſus, cujus Paracelſus mentionem facit; neceſſario etiam dandum, Corpora deſtructa, quæ remanſerunt, perfectiora facta, ſpiritumque cœli, etjamnum apud ipſa eſſe, cum dicit, Planetas per ea corporea & viva fieri ut antea fuerant; ſed quod in ipſorum Separatione, (abtreiben) ſcorificatione (verſchlacken) ſive difflatione non deprehenditur, ſed hac operatione corpora eorum inſtar ſcoriarum manent, in quibus nec Spiritus nec vita, multo minus Aurum & Argentum, diligenter licet inveſtigata, reperiuntur. Paracelſus expreſsè dicit: Corpus illud, nempe corporum occiſorum, eſt Spiritus Cœli, à quo Planetæ iterum corporalia & viva evadunt ut antea unde intelligitur, iſta corpora ſpiritualia, & non ſolum corporalia eſſe & reſuſcitata, ſed quod occiſis etiam corporibus vitam reddere valeant, quod de iſtis dici nequit quia ſpiritualia non ſunt, cum ſpiritus penetrativus & vivificus eſſe debeat, cujuſmodi iſta non ſunt; ſi enim juxta Paracelſi mentem mortua corpora ad corporeitatem vitamque revocare debent, occultam non quibuſvis cognitam vim habeant oportet, quâ citra peregrinorum fluorum additionem, ſpirituum more ſe celerrimè corporifica vivificaque demonſtrent, aliàs merito explodenda.

Siquis vero putet, Metalla rubeo igne vitâ

privata, ſpiritualia rurſuſque corporalia & viva facta protinus Aurum & Argentum eſſe, (cum Paracelſus dicat, novum illud corpus exemtum ex vita & terra, ſerva quia eſt Aurum & Argentum) plus æquo ſibi pollicetur, falliturque: totum enim metallorum corpus in Aurum & Argentum convertere vel ipſi Philoſophorum Lapidi impoſſibile eſt. Ex nihilo enim nihil fieri Philoſophi ajunt & res loquitur; præter ſolum Deum nemo ex nihilo fecerit aliquid, res vero quæ aliquid fuit arte in nihilum redacta, illa demum in aliquid revocari poteſt. Cum ergo plurima metallorum pars inutile, comburens, nocivum ſit Sulphur, quod nunquam fuit metallum ſed illis tantum foris adhærens humidum eorum radicale combuſtum in ſcorias redigit: quod humidum radicale ſolum poſt deſtructionem, non tota metalli maſſa ſive ſulfur ſuperfluum per Spiritum Cœli Saturnini ex nihilo in aliquid, corpus ſcilicet vitamque reſtituitur, Sulphure quod ante corruptionem nihilum erat, poſt eam Nihilum remanente. Re penitius introſpecta hoc ita eſſe clarè eluceſcit: Si in hac operatione ſeparatio metallorum imperfectorum fieri debet, congregatio puriorum, impuriorumque partium diſperſio, ſeparatæ hæ partes plane diſſimiles ſint neceſſe eſt: quo purius enim eſt Aurum & Argentum cum imperfecto metallo comparatum quod ab eo ſecretum, hoc eſt impurior reſidua metalli pars à qua Aurum ſeparatum eſt. Hæc Separatio non eſt ejuſdem bonitatis & naturæ partium in duas partes

ſejun-

ſejunctio, ac ſiquis 10. ducatos dividat in 2. partes, utraque habebit quinque ejuſdem ponderis & valoris; ab altera parte 2. treſve ablati & alteri appoſiti hanc majorem illam tanto reddent minorem. Quod ſi huic 9. apponas, alteri uno relicto, non tamen ſe qualitate ſuperiorem eſſe altera gloriabitur, ſed ſola quantitate, bonitate ſibi ſemper æquales. Hic vero diverſum fit, ſeparatione tam in qualitate quam quantitate facta. Quemadmodum ſiquis mineram metallum lapidi miſtum habentem tutamque menſurâ in duas æquales partes dirimat, mox confuſas affuſa aqua pro more leviores terræ partes ſeparando lavet graviori metallo in fundo relicto utraque ſic ſeparata priſtinam menſuram quidem complebis, ſed bonitate plurimum diſcrepabunt.

Vel ſiquis 2. cantharos vini alembico vitreo ignis calore ſeparet eliciens prꝗſtantiorem ſpiritum, altero cantharo in cucurbita relicto, hæ 2. partes ut æquales quantitate, bonitate plurimum differentes, altera vino nobilior, altera deterior, erit. Et quemadmodum reſiduum non amplius vinum, ſpiritu, vita, anima viribuſque orbatum, à morte ſe tueri non valet, ſed in putredinem abit, ſpiritus vero nec putredini obnoxius, alia etiam à putredine præſervat. Ita & de hac Metallorum Separatione (Seigerungh) intelligendum, nempe reſiduum à quo Aurum ſeparatum eſt Stannum, Cuprum, vel Ferrum amplius eſſe non poteſt, ſed craſſum terreumque Sulfur, à ſolo Auro quod ei jam detra-

ctum

ctum eſt habens, quod Stannum, Cuprum, Ferrum vel Plumbum fuerat. Quantoque Spiritus præſtantior vulgari vino aurumque imperfecto metallo, tanto quoque Spiritus Vini Aurumque præſtabunt ſi denuo ſeparentur novaſque feces abjiciant: ſed hoc hujus loci non eſt, indicaſſe ſufficit quæ ſit hujus metallicæ ſeparationis ratio de quo modò egimus: non totum videlicet metallum, neque dimidiam quantamque partem aurum fieri, reliquam metallum manere, ſed ſeparationem puri quantitate pauciſſimi fieri ab impuro plurimo, neque quiſquam ſi non omnia Aurum erunt, ſe artem non aſſecutum, neque acquieſcendum eſſe exiſtimet. Satis eſt, ſi aliquid remaneat, nec omnis labor caſſus ſit. Multis ex rebus vivimus, paucis etiam ſubſiſtimus. Quiſque ſuo ſe pede metiri debet. Deus omnes auro argentoque non cumulat, ſed nonnullos ſtercòre lutoque, ait Paracelſus.

Quid plura de Separatorio opere, quo per Saturnum ex reliquis imperfectis metallis Aurum & Argentum extrahitur, dicam, de cujus poſſibilitate mihi ſæpiſſime experta dubitandum non eſt? num verbotenus modum apponens te ditaturum recipiam? qui ex ea ipſe non diteſco, facere non poſſum, neque etiam audeo, ne tu præ ineptitudine aberrans, me quaſi mendacia ſcripſiſſem traducas. Medio ergo bono acquieſcere conſultiſſimum eſt, bonaque fide indicare hujuſmodi res poſſibiles eſſe, quaque ratione, ut poſſibilitatem explores, opus adminiſtran-

niſtrandum. In magna verò quantitate abſque catinis cum emolumento ipſe nunquam feci nec tentandi locum habui, rem tamen in magna copia præſtari poſſe perſuaſiſſimum habeo.

Quo pacto Cryſtalla conjuranda, omniaque in iis videnda.

CONjurare nihil eſt aliud quam rem probè obſervare, ſcire & intelligere quid illa ſit. Cryſtallum figura eſt aëris, in qua, quicquid in aëre mobile vel immobile, conſpicitur, apparet etiam in ſpeculo, cryſtallo & aquis. Aër enim Aqua & Cryſtallum viſui unum ſunt, inſtar ſpeculi, in quo replica inverſa videtur.

Quid ſibi Paracelſus cum Cryſtallorum conjuratione velit, non ſatis aſſequor, quia ad metallicas artes non pertinet, nec tamen abſque ratione ab ipſo additum videtur, quicquid tandem innuere voluerit. Priſci Philoſophi pagani cryſtallos conjuraſſe, multaque mirabilia in iiſdem conſpexiſſe leguntur, quod utrum verum ſit nec ne in medio relinquo, quia talis ars meo judicio non naturalis eſt, ſed ad magiam diabolicam ſpectat, de ea non laboro. Alibi etiam Paracelſus de ejuſmodi mirabilibus ſpeculis ſcripſit, eque metallis certo tempore & conſtellatione in unum conflatis concinnare docuit, quod multi tentarunt, nemo tamen quod ſcio rem aſſecutus eſt. Probabile videri poſſet, ipſum hac Cryſtallorum conjuratione ſignificare,

re, quod Metallo, ſi ſpiritualia fieri ſuumque Aurum & Argentum reddere debeant, primo pellucidæ cryſtallo, aquæ vel aëri, in quibus Metalli Anima reſplendeat, ſimilia ſint facienda. Hoc ſenſu cum præcedentibus capp. quadrabit. Neceſſariam quoque hujus rei mentionem fieri in eorum gratiam videtur, qui Separationem cum Saturno molituri experientur Metalla prius in pellucidam cryſtallum redigenda quam occultum Aurum dimittant: Quod alibi de Amauſis prolixius acto hic ſuperſedemus.

De Calore Mercurii.

VIcti ſunt qui Mercurium humidæ frigidæque naturæ eſſe credunt, quod non eſt, ſed ingenti caliditate humiditateque ſcatet, quæ ipſi natura inſita facit ut ſemper fluidum eſſe oporteat. Si enim naturæ eſſet frigidæ humidæque, congelatæ ſimilis aquæ ſemper rigidus & durus maneret, inſtar aliorum metallorum ignis calore liquandus: quod ipſi non opus eſt, quia jam à calore fluiditatem habet, à quo fluit, ſemper cogitur vivere ſed mori, rigere, congelaſcere vel figi. Singulariter vero notetur, Spiritus 7. metallorum, vel quotquot eorum in igne conjuncta ſunt, inſigniter commoveri turbarique, præcipuè mereanus ſe invicem vires ad mutuam victoriam tranſmutationemque [forte Mercurium]emittentes: alterum alteri virtutem, vitam, formamque adimit, novam natu-

naturam formamque communicans. Sic Spiritus ſive vapores metallorum calore ad mutuam actionem & paſſionem excitantur, & ab una virtute in aliam, uſque ad perfectionem puritatemque tranſmutantur.

Sed quid cum Mercurio amplius faciendum, ut calore humiditateque ſublatis magnum accipiat frigus quo congeletur, conſiſtat & moriatur? Fac ut in ſequenti commento audies.

℞. pyxidem argenteam puriſſimam, qua conclude Mercurium, imple ollam Plumbo liquato, cujus medio immiſce pyxidem cum Mercurio, integrum diem fluat, adimetur Mercurio calor occultus, calorque externus internum Plumbi Argentique frigus ei conciliabit, utriuſque naturæ frigidæ, quo Mercurius gelaſcit, riget, obdureſcit.

Nota. Frigus quo Mercurius ad ſui duritiem & mortem opus habet, foris non eſt perceptibile inſtar nivis vel glaciei, ſed potius calidum. Neque calor, quo Mercurius fluit, in manibus ſentitur, ſed potius frigidus. Hinc Sophiſtæ (i. e. homines ſine cognitione loquentes) eum frigidum humidumque pronuntiant, ſtudentes eum calidis rebus coagulare, ipſum magis liquantibus quam denſantibus, quod ipſa experientia teſtatum facit.

Vera Alchymia, quæ ex unica arte ex 5. imperfectis metallis Argentum & Aurum conficere docet, nullis aliis receptis utitur, quam tantummodo à metallis, ex metallis, per metalla & cum metallis imperfecta metalla fiunt, nam

cum aliis rebus eſt Luna, nam in metallis eſt Sol.

Hic Paracelſus illorum judicium, qui Mercurium (merum per ſe ignem,) frigidum naturâ eſſe ajunt falſum demonſtrat: reditque ad metalla ſpiritualia, quibus ingenti ignis calore in ſe mutuo excitatis alterum in alterum agit, illud meliorat, mutat, & ad perfectionem promovet, quemadmodum in præcedentibus docuerat.

Subjungit figmentum, quo pacto coagulandus ſeu figendus ſit, aſt non literali ſenſu, ſed de Luna ſpirituali, qua Mercurius via humida non vero ſicca, quemadmodum alia metalla ad coagulationem promovendus, quem proceſſum nunquam tentavi.

Claudit univerſali de tranſmutatione regula, dicens: Perfecta metalla à metallis, ex metallis, per metalla, & cum metallis fiunt, quodque ex quibuſdam Argentum ex aliis Aurum eliciatur. Nihil peregrini, ſed non niſi metallica ſubjecta ad hunc laborem ſumenda eſſe vult, ex quibuſdam tantum Argentum, ex aliis tantum Aurum, vel Aurum & Argentum junctim extrahi, quod ego frequenter ſum expertus Plumbo per ſe ſolum Argentum, ſtannum, cuprum & Ferrum per ſe tantum Argentum & purum Aurum, cum aliis metallis debita proportione miſta ſolum Aurum, nullum vel minimum dare, quæ mutatio ſoli labori miſtionique accepta ferenda, quod jure mirandum.

Quæ Materia & Inſtrumenta Alchymiæ neceſſaria ſint.

Nihil ſingulariter opus eſt præterquam foco, carbonibus, folle, forcipe, malleo, crucibulo, teſta ſive catino (treib-ſcherben) & cupella ex bono cinere fagino facta: tum Plumbum, Stannum, Ferrum, Aurum, Cuprum, Mercurium, Venerem & Lunam, impone, fiat uſque ad finem Plumbi.

Metalla Mineraſque in terra lapidibuſque quærere perdifficile & incertum eſt: quia tamen omnia metalla primo quærenda & eruenda ſunt, labor hic non contemnendus, ſed laudandus eſt: hæcque fodinarum colendarum cupido nihilo ſecius peribit, quam juvenum ad puellas. Quamque avidæ ſunt apes ex roſa mel ceramque elicere, tam proclivis debet eſſe homo ad quærenda metalla in terræ viſceribus, ſed citra avaritiam, qui nimium cupit, minimum accipit. Deus enim non omnes homines Auro & Argento replet, ſed inopia, ſtercore, luto, miſeria & anguſtia.

Nonnullis etiam hominibus gratificatus eſt Deus peculiarem intellectum, ſagacemque minerarum metallorumque, cognitionem: ut multo compendioſiorem ſciant Aurum Argentumque faciendi viam, abſque cultura ſodinarum, minerarumque examine & fuſione ut res non ſolum devenerit, ad Aurum & Argentum nativum in terra colendum, ſed ut certa quoque

notitia habeatur ex quinque Speciebus (ſed ex mineris factis metallis,quæ imperfecta metalla ſunt atque dicuntur) nempe Argento vivo, Stanno, Plumbo, Ferro,Marte & Cupro ex ſingulis ſeorſum Aurum & Argentum facere, ex nonnullis facilius, ex aliis difficilius Aurum & Argentum producere.

Nota quoque, quod ex Argento vivo, Plumbo, Iove, Auro & Argento facile : ex Ferro & Cupro difficulter fiat Aurum & Argentum, poſſibile nihilominus, ſed principio & acceſſu Auri & Argenti.

Ex Magneſia & Plumbo exit Luna.

Ex Cupro & Cinnabari purum aurum orietur.

Poteſt & ingenioſus homo, quod probe memini, debita attentione & præparatione metalla tractare, ut ingenio in metallorum ad perfectionem tranſmutatione plus agat eamque gubernet, quam omnia ſigna & Planetæ cœli faciunt, Supervacaneum quoque eſt 12 cœleſtium ſignorum, Planetarumque motum & regimen calculare, atque tempus, diem, horam hujus vel illius Planetæ dextri vel ſiniſtri obſervare: talia nec promovent, nec inhibent quicquam, nec nocent, nec proſunt in naturali Alchymiæ arte; quod ſi artem & poſſibilitatem recte tenes, operare & facito quando tibi commodiſſimum fuerit : ſin tibi cognitio & exercitatio deeſt, omnes etiam planetæ, ſidera, ſigna protinus deficient.

Fit quoque ut metalla diutius in terra jacentia,

tia, non ſolum mutata in rubiginem ſitumque abeant, ſed & diuturniore in terra detentione in nativum lapidem revertantur, cujuſmodi multi reperiuntur quamvis non obſerventur. Inveniuntur enim lapideæ gentilium monetæ, quæ olim metalla fuerant, corruptioneque in lapidem abierunt.

Hic primo docemur, ad Auri Argentique confectionem nec multis inſtrumentis nec ſpeciebus opus eſſe, ſed metalla tantum conjungenda & lavanda, verum non vulgari Separatione ſive lavacro (abtreiben): nam ſi vel cuncta metalla cum Plumbum laves, nihilo tamen plus remanebit quam Aurum & Argentum quod in principio aſſumtum erat; cætera partim cum Plumbum in cupellam deſcendent, partim inſtar ſcoriæ ipſi incumbent: iterum ergo ſpiritualem, commiſtionem, Philoſophicamque ſeparationem indigitat.

Addit, honeſtum quidem, bonum, neceſſariumque eſſe Metalla effodere; alterum vero præſtantius, cum ex effoſſis vilioribus metallis Aurum & Argentum arte ſeparatur, & quidem merito. Omnes enim metallis animum applicantes, quantis periculis, impenſis laboribus curiſque eruenda ſint probè norunt, verum ideo non abſtinendum, cum præſertim ſic laboramus, ut certum laboris finem præcognitum habemus: id quod in metallicis fieri nequit, ubi ſæpenumero inani ſpe ducti omnem rem noſtram fodinis impendimus, irritoque labore exhauſti opere deſiſt ere cogimur; ſed ſi bene cedit, eo locu-

pletiores reditus fundunt, quemadmodum Chronica Metallica teſtantur, multos inopes divitis fodinæ beneficio brevi annorum ſpacio opulentiſſimos evaſiſſe. Fodinarum ergo cultura fortuito caſu tota conſtat, ubi damnum & lucrum ex æquo exſpectantur: magnarum quoque impenſarum res eſt, quibus quivis non ſufficiunt: itaque non plebejorum eſt, quibus parum perdendum ſuppetit, ſed illorum, qui multa perdentes pane tamen ſuo veſci poſſunt; niſi pauperculus in terram arenamve Aurum & Argentum aliorumve metallorum feraciſſimam incidat, ex cujus lotione victum quærat, vel divitem venam inveniat, cui effodiendæ opulentum ſumtibus ſuppeditandis ſibi in conſortium aſſumat, id quod ſæpe factitatum eſt. Utut ſit res eſt incertitudinis plena. Hæc vero cujus Paracelſus meminit metallurgia alteri longe præferenda, ſi quis Dei gratia artem nanciſcatur qua ex imperfectis jam pridem effoſſis & ubique venalibus aliquid Auri vel Argenti cum lucro eliciat, ubi Aquarum inundationes, aëris infectio, ſpectra aliaque incommoda nequaquam metuenda, ſed ſi paucos habeat nummos undique Plumbum, Stannum, Cuprum & Ferrum comparantur. Quantas Germania noſtra hoc diuturno bello gazas penes ſe ſervaſſet, ſi homines talis ſeparationis gnari fuiſſent? Nonne integræ naves Cupro & Stanno onuſtæ in hoſticum devectæ ſunt? quantis impenſis, labore ac tempore ut effoderentur conſtiterunt, peregrinis tam levi pretio vendita, & adhuc venduntur,

tur, quia iſtis nemo uti novit. Pudeat nos, qui alias nationes ſinceritate, fide, virtute, ingenio, arte ſuperavimus, præ oſcitantia omnibus jam ſimus inferiores. Neque tamen mirum, quia Magiſtratus ingenuis Naturæ ſcrutatoribus, expertiſque Chymicis meritum patrocinium non præſtat. Diſtinguendum erat inter hoſce, & vagabundos, fallaces, depauperatos Alchymiſtas, alios chryſo-poiïam docturos, ipſi in metallicis cæcutientes. Ingenuus Metallicæ ſtudioſus vix muſſitare audet, ne iſtis erronibus ſimilis chryſopæus audiat, unde fit, ut multa commoda patriam celentur. Hoc tamen ſuſque deque habito, ſi Deus vitam otiumque conceſſerit patriæ bono libellum concinnare decrevi, quantis divitiis occultis Germania abundet, in quibus conſiſtant, & qua ratione eruendæ oſtendentem. Multifariis Fodinis præ aliis regionibus regniſque ſingulariter dotata eſt Germania, cordati tantum viri iſtas in commune bonum colentes deſiderantur, ligna, aliaque iſtis elaborandis neceſſaria abundè ſuppetunt. Cur nos eo devenimus dementiæ, ut Cuprum noſtrum in Galliam vel Hiſpaniam, Plumbum in Belgium vel Venetias mittamus, quæ viride æris, & Ceruſſa facta tanti ab ipſis iterum redimenda? Num noſtrum lignum, arenæ, cinereſque Criſtallinis vitris ineptiora ſunt quam iſta in Gallia vel Venetiis? aliaque plura ſunt minoris apud nos parabilia, & majoris vel æqualis bonitatis, quam in aliis regionibus, ſed prorſus neglecta. Cum peregrinis bona noſtra ſuperflua pecuniâ vendere de-

beamus, ipſi eam avehentes, alienos ditamus, nos depauperamus. Quanta commoda ex vicinis regnis Germania caperet, ſi vellet & ſaperet? Verbo. Cum Deus terram punire inſtituit, prudentibus viris eam ſpoliat, ſi benedicere, ſapientes ei largitur. Unde olim Venetiæ, & nuper Amſterodamum in Hollandia ad tantas opes pervenerunt, quam quod ſapientes viros alliciunt alunt foventque, quorum inventionibus opificiiſque merces ſuas in totum mundum diſtrahentes, patriam auro argentoque compleverunt. Beatius eſt habere quod vendas, quam quod emas. Quid Germania deſiderat, quod à Deo non abunde ſit conceſſum, ſi modò bona noſtra noſſemus? Invaluerunt comeſſationes & potationes, ut qui fruſto panis abundat, illud turpiter decoquere non erubeſcat, tempus inutiliter deperdens: vixque eſt qui bonis artibus ac ſcientiis incumbat, otium omnes amant patriæ utiles artes oderunt & perſequuntur, unde Deus plagam plagæ addit, metuendumque niſi ſeria penitentia (cujus etiamnum tenuia rudimenta apparent) ſequatur, graviora mala quæ Deus clementer avertat non emanſura.

Ut ad rem redeam, optime de patria meriti Paracelſi ſcripta illuſtraturus, metalla quædam nominat ex quibus Aurum & Argentum facile, alia ex quibus difficulter, (ſed utrobique addito Aurum & Argentum,) eliciatur. Proficuum enim imò neceſſarium; quod ſæpe inculcavi, eſt, ut ex imperfectis metallis Aurum & Argentum ex tracturus Aurum & Argentum miſturæ adji-

adjicias, ut fixum Aurum & Argentum ſuum ſimile in imperfectis late diſperſum & volatile, eo commodius corporeum, fixumque redditum eliciat.

Subjungit, Metalla ſi diutius in terra maneant, interire & in lapides terramque unde ſua primordia habuerant redire. Hoc ipſum homini cunctiſque creaturis accidit, nihil eſt in mundo, quantopere ſplendidum, præter ſolius Dei cognitionem, timorem, & amorem, niſi vanum, inane & caducum.

Quænam res ſit Alchymia.

Alchymia eſt intentio, imaginatio, excogitatio, qua metallorum ſpecies ex uno gradu & natura in alium tranſmutantur. Unuſquiſque ergo ingenio & ſagacitate bonam artem Alchymiſticam excogitet: qui enim plus excogitat (ſpeculatur) citius etiam artem aſſequitur, veritatemque invenit.

Nota. Aſtris Lapidibuſque plurimum tribuendum: aſtra enim ſpiritus ſunt & formatio omnium lapidum. Suntque cuncta cœleſtia ſidera, Sol & Luna in ſeipſis non niſi lapides, à quibus terreſtris oriuntur, tanquam eorum uſtio carbo, cinis, ejectamentum, excrementum, & expurgamentum, à quibus cœleſtes lapides ſeſe ſeparantes, clari & pellucidi ſuo fulgore evaſerunt. Totuſque terræ globus nihil eſt aliud quam dejecta, collapſa, commiſta, confracta, trita, recocta & ex parte in unam maſſam conflata rude-

ra, in medio firmamenti circulo quietem & conſiſtentiam adepta.

Notandum quoque, Gemmas, (quarum nomina mox recenſeo) à cœleſtibus lapidibus vel aſtris, quibus omni puritatis, pulchritudinis, claritatis, virtutis & conſtantiæ ſive fixitatis perfectione proximæ ſunt, & in igne incorruptibiles una cum aliis lapidibus in terram deveniſſe; eoque quodammodo cœleſtibus lapidibus, ſideribuſque ſimiles eſſe, quorum ſunt partes & naturæ ab ipſis delatæ, & ab hominibus inventæ vaſe craſſo impuro, illic locorum natæ à vulgo, de omnibus rebus perperam judicante creduntur, quales inveniuntur, poliuntur, per mundum circumvectæ venduntur, magnæque ob inſignem formam, colorem aliaſque virtutes opes putantur, de quibus mox ſum dicturus.

Gemmæ.

S*Maragdus* eſt viridis pellucidus lapis, oculis confert, memoriam juvat, pudicitiam tuetur, qua læſa ipſe læditur.

Adamas nigra eſt cryſtallus, Evax quoque vocatur, quia Gaudium confert. Obſcurus, & ferrei coloris, duriſſimus, ſanguine hircino ſolvitur, quantitatem avellanæ non excedit.

Magnes ferri eſt lapis, quia ferrum attrahit.

Margarita Perla eſt, non lapis, in conchis naſcitur, albet. Quicquid enim in animalibus, homine, vel piſce generatur non eſt lapis propriè, ſed vulgi ſenſus eum lapidem judicat; propriè

prie eſt depravata (aliter, tranſmutata) natura ſuper opus perfectum.

Hyacinthus flavus eſt lapis, pellucidus. Eſt & flos, quem poëtæ hominem fuiſſe fabulantur.

Sapphyrus lapis cæruleus eſt naturæ cœleſtis.

Rubinus eſt lapis impensè rubens.

Carbunculus eſt lapis de Sole, lucem & ſplendorem fundit, quemadmodum Sol in ſua natura.

Corallium etiam lapidi ſimile eſt; totum rubeum, in mari ex aquæ aërisque natura in lignum vel fruticem excreſcit: mox ab aëre mutatum lapideſcit, rubeſcit igni incombuſtibile, idcirco lapis cluet.

Chalcedonius eſt lapis multis lucidis & obſcuris coloribus, miſtis quoque nubiliſque fluoribus & coloribus inſtar jecoris rubentibus, gemmarum viliſſimus omni colore reſplendens.

Topaſius eſt lapis, noctu etiam lucens, in aliis rupibus inventus.

Amethyſtes lapis ex rubeo & flavo ſplendet.

Chryſopaſſus eſt lapis noctu igneus, de die aureus apparens.

Cryſtallus eſt lapis candidus, pellucidus, aquæ congelatæ ſimilis ab aëre & frigore [aliter, ex aëre & frigore] ex aliis rupibus ſublimatus eſt, extractus, vel, ut ajunt, elotus.

Coronidis loco hoc veriſſimum Vale habeto. Siquis recta ratione, ſenſu & cogitatione erga metalla uti velit, quid ſint, & unde orta, ſciat noſtra metalla nihil eſſe aliud quam optimam portionem de vulgaribus lapidibus: ſunt

lapidum ſpiritus, i. e. Pix, Sevum, adeps, oleum & pinguedo lapidum: ſed non eſt ſincera, pura, perfecta quamdiu in lapidibus miſta abſcondita eſt, hæc propter in lapidibus quæri & inveniri debet, in iis cognoſci, ex iis exſugi, i. e. urgeri, exprimi, cogi, excoqui: tunc non amplius lapis eſt; ſed elaboratum perfectumque metallum, aſtris cœleſtibus aſſimilatum, quæ etiam peculiares ſunt, lapides ab hiſce lapidibus diſtincti.

Quicunque ergo metalla inveſtigare vult, hoc firmum penes ſe habeat, & ſupputatum, non ſolum vulgaribus metallis intentus, neque in terræ viſceribus ſpem habeat collocatam, ut inde bonas conſequatur mineras. Sæpe enim extra terram, in propatulo eſt quod in profundo non eſt, non raro etiam melius & copioſius. Cuncti ergo lapides obvii, magni illi ſint ſive parvi, integra ſaxa vel ſilices accuratiſſime inſpiciendi cujuſq; ſint naturæ & proprietatis perpendendi. Sæpe enim viliſſimus ſilex quavis vacca præſtantior reperitur. Non ſemper matrix ſive rupes [Abbruch unde avulſi ſint] unde talis lapis ortus ſit anxie quærenda, ut inde plures habeas; carent hujuſmodi lapides rupe, cœlum ipſorum eſt rupes. Sæpius etiam eſt abjecta terra, pulvis & arena multum Aureæ & Argenteæ fecis (Schlich) habens, quod obſerva. *Finis*.

Hic quid ſit Alchymia Paracelſus declarat, cujus verba per ſe perſpicua luce non indigent. Tum ad metallorum nos ortum deducit ex ſuperioribus aſtris generatione in terra nata, gemmis proximum perfectioni locum tribuens, non

vero

vero ut eò ardentius eas veſtigantes Aurum & Argentum inde petamus, ſed ut eis metalla, quod ad exteriorem adſpectum, ſimilia reddentes, poſtmodum ex iiſdem Aurum & Argentum extrahamus, quo omnis præcedentium capitum doctrina ſpectat, quod notandum erat, quærendumque quid ſentiret, neque ſemper nudæ literæ inhærendum. Nihil hic fruſtra appoſuit. Quid gemmis cum metallis? nihil omnino. Quamvis nonnunquam latens Aurum & Argentum extrahi poteſt, hic tamen ut illud factitemus minime vult, ſed auctarii loco priorem doctrinam repetens ſubindicat, Metalla ex quibus Aurum & Argentum cum quæſtu exſpectas, prius in ſolubilia vel inſolubilia gemmiſque ſimillima vitra redigenda, quarum hic bonam ſeriem recenſet, quibuſque uſibus inſerviant adjungit, non ut earum naturam, colorem proprietates opinor perdiſcamus, ſed docendi gratia, quod quemadmodum illæ colore, viribuſque tam diverſæ reperiuntur, ita & metalla colore illis ſimilia parari poſſe. Qui nec capit nec credere vult, meliora quærat, aliunde ſibi auxilium accerſat.

Concludens tandem corollarii loco quid metalla ſint indicat, eaque non ſemper ex profunditate terræ eruenda, ſed interdum copioſiſſime in vili pulvere, arena & lapide inveniri; neque eorum rupem, vel originem ſollicite quærendam, unde plura petantur, quia cœlum ubique operando ea generet. Tantæ cæcitatis hominem arguens, ut ſemper ingentibus fodinis in-

inhiet, alte latentibus, periculoſis inventu,ſumtuoſis effoſſu. Ante pedes vero poſita præ faſtu vel non agnoſcat, vel agnoſcere dedignetur, petulanter tenebras affectans, lucem à probis exhibitam contumaciter contemnat, & innata malitia extinguere ſtudeat.

Sic finitus eſt libellus, quam nobis experientiſſimum Paracelſus de Metallicis rebus conſcriptum, abſtruſæ ſapientiæ, (licet à pleriſque non credatur) refertiſſimum reliquit: cui meam ego mentem pro virili dilucidationis ergo ſubjunxi, nullus dubitans; quin poſthac in majori apud omnes pretio ſit futurus. Apertius quidem ſcribere, verba ejus prolixius explicare, ſenſumque occultum exactius eruere potuiſſem, verum hoc temporis otiique ratio impræſentiarum non tulit.

Si cui vero obſcurius ſcripſiſſe videbor; reliqua ſcripta mea, ſeſe invicem illuſtrantia conſulat, meque quod aliis rebus diſtrictus plura non aſperſerim excuſatum habeat. Ego quod proximo introductionem præbere licuerit abunde mihi gratulor, ne omnes labores, quos harum rerum inquiſitione exantlavi, (quia contra vim mortis non eſt medicamen in hortis, nullusque mortalium horam ſuam cognitam habet,) una mecum intereant.

Si ſuperſtes plus otii nactus fuero, plura ſecreta evulgare non verebor, quemadmodum jam ſub manibus ſudant *Concluſiones Operis Mineralis*, illud Appendicis loco ſecuturæ, ubi non pauci certiſſimique & ſpeciales Proceſſus communi-

can-

cantur, prioribus ſcriptis facem præbituri, metallicæque tranſmutationis certitudinem confirmaturi; quo inſuper pacto metalla ex imperfectis elicita artificioſe compendioſe abſq; alterutrius jactura ab invicem ſint ſeparanda & repurganda cuncta ſtilo meo exarata Corona hujus libelli futura.

Adhæc & Opus Vegetabile molior, multas artificioſas mundoque hactenus incognitas gazas, rerumque vegetabilium ex una in aliam melioremque formam & naturam, tribus partibus comprehenſas exhibens, quod proxima quaque occaſione publici juris ſum facturus, quibus cæptibus divina gratia clementer adſpiret, Amen.

Sequitur prædictæ Theoriæ

PRAXIS.

PRæmiſſa libri Vexationum Paracelſi Explicatio Metallorum tranſmutationem certiſſimam indubitatamque docuit, quoque ea pacto adminiſtranda plus ſatis monuit. Sed quia hæc actio inſignem in metallicis experientiam requirit, paucique admodum experti reperiuntur, verendum, ne mea fida, amica & perſpicua explicatio non majoris quam Paracelſi ſcripta utilitatis ſit futura, utque hic ipſius libellus ab ignaris ſemper impoſſibilis, falſus meræque vexationes immerito habitus, ſic & mea in eum expoſitio non majori applauſu excipiatur. In verita-

veritatis ergo teſtimonium & confirmationem ſpeciales aliquot procedendi modos perſpicuis verbis ſubnectere volui,ne quis impoſterum poſſibilitatem miretur, ſed tantam Paracelſi, quantam meis verbis fidem tribuere cogatur. Impoſſibile vero eſt tam aperte ſcribere, ut nemo aberrare poſſit, res foret nimis prolixa, tædioſa & incongrua, quaſi pueruIo elementa nondum callenti multa de Phyſicis aliiſque ſubtilibus rebus, irrito prorſus conatu dicturus. Sic & hic, ſi de hiſce arduis rebus æquo prolixius & humilius, pro puerorum captu ſcribendum eſſet. Neque etiam Alchymiæ tyrones inſtituendos ſuſcipio, ſed laborum metallicorum, fuſionis, lavacri (abtreiben) ſeparationis, ſimiliumque peritis, ſubtili intellectu, exercitatoque judicio pollentes, excuſatum ergo me habeat qui hæc experturus aberraverit, non mea aperta ſcripta, ſed ſuam inſcitiam ruditatemque accuſet, quod ſi ne unicus quidem imitetur, non mihi, veritatem ſincere ſcribenti, imputandum.

Nonnullos vero ſuam ex eis rem facturos probabile eſt, qui duro improboque labore Vulcani arcana aſſequi ſtudentes, eouſque profecerint, ut ſenſum meum intelligant. Cur ego de rebus mihi ignotis ſcriberem? quid futurum eſſet, ſi ocularis à me demonſtratio exigeretur? quid mihi curæ laboreſque profuerint (qui ne minimum emolumenti meis ſcriptis perceperim nec quæram)ſi in proximi commodum non cedent? Poſthumis ſcriptis mea non ſunt ſimilia, de quorum certitudine nemini certò conſtat. Neque

ignoo-

ignoranti vitio vertitur interrogare, quodque neſcit perdiſcere. Clarius equidem ſcripſiſſem, in artem in opificium abituram metuerem: aliis nimis aperte ſcripſiſſe videbor, tanta ſecreta mundo innoteſcere ringentibus. Quis omnibus ſatisfaciet? utut res cadet proximo bonam operam præſtitiſſe ſemper juvabit.

Hæc eſt ars.

Ubi cœlum Saturni impoſueris, feceriſque ut cum vita in terra fluat, debito pondere imperfecta metalla adde, nempe Plumbum, Stannum, Ferrum, Cuprum, parumque Argenti. Cum cœlo tantiſper currant, donec cum eo diſparuerint, natura formaque metallica amiſſa, inque terram redacta. Hanc metallicam terram, Saturni cœlo adhuc junctam & circumquaque circundatam per cœli ſpiritum reſuſcita & corpoream redde, priſtinamque formam metallicam recipiet: ſed licet meliorata ſit, 3.4. vel quinquies tamen occidatur & reſuſcitetur, ut melioratio major, inque ſeparatione plus Auri & Argenti proveniat. Nulla tegula (Muffel) cupella, catino (treib-ſcherben) teſto, cucurbita, Aqua forti, ſimilibuſque vaſis vel inſtrumentis, aliis metallicis laboribus neceſſariis opus eſt, ſed unico crucibulo in uno furno, unico igne, ab initio ad finem uſque paucarum horarum ſpacio perfectè abſolvitur. Et ut planius dicam, in hoc proceſſu, Sfæra Saturni eſt regulus Antimonii, Vita, Sal de albans, operationem & motum ſuum ab igne habens, terra eſt crucibulum. Sic habes integrum

grum laborum quem plus centies in exigua quantitate expertus ſum, expoſitum. Ante omnia Ignem artis ſtudioſus perpendat, cujus ſit originis, naturæ, virium, & reliqua intellectu erunt faciliora. Ligna enim carbones ſimiliaque uſtibilia ignis propriè non ſunt, ſed habitaculum tantum ejus, in quibus ignis in aëre occulte diſperſus manifeſtus, viſibilis & perceptibilis fit. Uti nec homo Vita eſt vel Anima, ſed receptaculum tantum in quo ſuperne infuſa Vita Animave hoſpitatur. Neq; homo amplius homo eſt, ſed merum cadaver, cum anima exſpiravit. Similiter Aurum deſinit eſſe Aurum anima privatum, ſed eſt volatile & decolor minerale, unde metallorum bonitas non ex corpore, ſed anima eorum eſſe liquet. Hujus gratia imperfectis metallis Argentum additur, ut inviſibilem animam latè per ipſorum corpora diffuſam excipiat, colligat, eamque viſibilem, perceptibilem & corporalem efficiat; quo ex ambobus Luna ſcilicet imperfectorumque anima miſtio exorta nomen Auri conſequatur. Nemo vero ſibi totum imperfectorum metallorum corpus in Aurum demigrare perſuadeat. Nequaquam. Purior ſaltem eorum pars, Anima, & Quinta Eſſentia ab impuriore, terreſtri Sulphureaque parte ſecreta Lunæ quæ exaltata, animataque in Aurum convertatur incorporatur.

Quærat quis: ſi mixturæ metallicæ nullum addatur Argentum, num Aurum prodibit? ℞. Aurum proveniet, ſed minori quantitate quam adjuncta Argento. Quia enim aurea imperfectorum

rum

rum corporum anima tenerrima & quaſi incorporea propriis viribus ex tot impuritatibus, quibus circundata, abſque aliena ope ſeſe expedire, novumque corpus efformare non valet; neceſſarium bonumque eſt, corpus ipſi porrigi, quo ſe collecta recipiat, cui Luna aptiſſima eſt: qua per vivificum ignem cum immundis metallis radicaliter unita mutuoque adſcenſu ac deſcenſu probe ſubacta, puriores imperfectorum particulæ hac circulatione Lunæ occurrunt, cui adhærent, miſcentur, corporeæ fiunt, impuro corruptibili corpore relicto, bonique à malo ſeparatione peracta.

Artem ergo ex omnibus metallis, vel ſingulis vel junctis, cum vel abſque Lunæ additione Aurum & Argentum extrahendi perſpicuè docui. Si ergo aſſequeris, gratulor tibi, ſin minus, non erit quod de me quæraris qui tibi meram nudamque veritatem candide impertiverim.

Alia ex imperfectis metallis per Saturnum Auri & Argenti ſeparatio.

PRimo Plumbum ſuper catino (Scheiben) bene fluat, adde Stannum & cuprum debito pondere mixta, fundantur unà, ſtatim Stannum & Ferrum corrumpent Plumbum, in ſcorias flavæ terræ ſimiles redactum, reductæ ex parte ſuum Plumbum, & Cuprum reſtituunt, Stannum verò & Ferrum inſtar ſcoriarum nigrarum remanent, quæ aſſervandæ. Plumbum

Cupreum iterum probe fluat, rurſum adde Stannum & Ferrum & fiant ſcoriæ mox reducendæ: Repetatur hic ſcorificationis reductioniſque labor, donec ex 100. lib. Plumbi vix una duæve libræ remanſerint, lavandæ (abtreiben), & invenies Aurum & Argentum, ex parte, quæ metalla hac operatione de ſe dederunt. Scoriæ vero quæ reduci non poterant in peculiari furno aliquot dies bene candefiant, figantur, dabuntque in reductione Aureum Argenteumque Saturnum lavandum (abtreiben) ut reſiduum Aurum & Argentum, quod ſcoriæ combiberant elicitum nobis uſui eſſe poſſit.

Hic labor (quem in magna quantitate experiri nunquam licuit,) meo judicio in copia haud dubie ſuccedet. Cuique tentare integrum eſt quantumque lucri quotannis inde haberi poſſit, exacte computare.

Alia ratione imperfecta metalla beneficio ſalium non corroſivorum verè atque infallibiliter particulari via figi atque lavari poſſunt, ut multum Auri & Argenti reddant, de quo nemo dubitare ſuſtineat. Cujus quia in meis ſcriptis ſæpius mentionem feci, hic cum tædio repetere par non erit. Unicum celandum non eſt, hac lotione, operi mulierum ſimillima metalla fortaſſis ad perfectionem auro ſuperiorem, ſi vera via innotuerit deducentur. Illæ linteamina ſua à ſordibus mundaturæ, diverſimode remiaggrediuntur, pro ſuo quæque more quæ ſi dextræ ſint, linteamina candida ſunt & munda, quocunque tandem modo lota, ſed unum altero

mun-

mundius. Quædam ſolo lixivio linteamina coquentes ſordes extrahunt, ſed labor eſt craſſus, veſtes non adeo mundificans. Aliæ ſuper addunt ſaponem, quo veſtes litas manibus ſubigunt, ſordibus ablatis munda aqua lixivium eluunt, ſolique exponunt qui aliquoties aquâ conſperſum exſiccatumque calore ſuo omni ſaponis lixiviique odore exuit magiſque candidat. Sciunt etiam hoc, nempe cum lixivium vel ſaponata aqua ſordibus imprægnata eſt, eam effundunt, limpida affuſa reliquias eluunt, hancque impuram iterum removent, recenti donec omnis odor & immunditia extracta ſit affuſa, veſteſque perfectum candorem obtinuerint.

Hunc mulierum laborem fruſtra non appoſui, non ignarus ipſas abſque libris lavare poſſe, ſed ut hoc ſimili imperitis metallorum lavacra eo evidentius adumbrarem. Impoſſibile enim eſt impurum metallum aqua munda prima vice depurare, ſed aliqua impuritatis parte elota aqua effundi, recentique lavandum donec omnibus ſordibus ablatis aqua maneat clara quemadmodum fuerat affuſa. Plurimum quoque inſolationis labor conducit, ſi poſt omnium ſordium ablutionem inceratio adhibeatur, i. e. metallum mundum ſæpius aqua recenti imbibatur, exſiccetur que, majorem acquirit puritatem, quam ſola ſaponata aqua potuiſſet. Si quis vero præter hanc purificationem puriorem, melioremque ſaponariam aquam ſciret, dubitandum non eſſet, quin metalla auro præſtantiora evaderent. Quemadmodum linteamen arte ut ſubtilitate ſe-

ricum candidum ſuperet præparari poſſe creditur, ſic & aurum arte pleriſque noſtrum ignota, in ſummum puritatis gradum exaltari poſſet.

Nemo me hanc ſeparationem mulierum lotionibus comparare miretur, comparationis ergo factum eſt, quo melius mens mea percipiatur. Ipſi quoque Philoſophi ſuum Univerſalitatis opus, opus mulierum, luſumque puerorum appellare non gravantur. Perſuaſum vero habeo, ſi loco nudorum verborum prolixum mendacemque laborem more Sophiſtarum deſcripſiſſem, me mundo, ſic decipi gaudenti gratius feciſſe. Ego tamen ſic egi, ut me quocunque res ceciderit, Deo mundoque ſatisfacturum confidam.

Poſſunt etiam metalla, in Calcem prius redacta per Plumbi Vitrum ſilicum additione factum purgari lavarique ut multum Auri fundant, de quo antehac ſcripſi. Sed multum requiritur Plumbi in quo metallum late diffundatur, alias feces non dimittit, neque puriores ejus partes collectæ in corpus concentrari poſſunt. Silices aſſumo, ut immundorum fecibus intra ſe receptis, ſeparationem puri ab impuro efficiant. Quemadmodum melli, ſaccaro aliiſque vegetabili ſucco aqua depurando albumen miſcemus, quod ſucci (viſcoſitatem attrahat, eumque clarificet.) Ita hic ſilices albuminis locum, occupant, Saturnus aquæ, quo Ferrum, Cuprum, vel Stannum ſolvitur; jucundiſſimus & celerrimus labor eſt, inſigniter quæſtuoſus ſi crucibula à lithargyrio

per-

perforata mixturam ſervarent nec tam cito tranſmitterent. Qui vero tam beatus vaſa inveniret quæ vitrum Plumbi horas 10. vel 12. ſervarent, de aliis ditandi artibus ſolicitum eſſe non opus foret. Mihi hactenus tam beato eſſe non licuit utut illud tot annos anxie quæſiverim: unica Ferri, Cupri, vel Stanni libra interdum dimidium, vel etiam integrum auri lotonem, ſi res rite tractetur, ſin Sal fixum Tartari, vel etiam nudos cineres clavellatos (Pott-aſche) addideris, plus reddit, ſed & crucibula citius perterebrantur, quod dolendum. Unum aliumve ſollicite ſcrutaturum credo, qui ſuo tempore experietur, hunc laborem & in crucibulis, & in magnis focis ſive uſtrinis feliciter ſuccedere, Deoque datori, & mihi ſcriptori grates debebit. Antehac tanti hunc laborem feci, ut quamvis magno pretio eum nemini communicare ſuſtinerem, ulterius vero progredi non permiſſus, gratis eum impertior, ut & alii ſuum fatum experiantur. Uni omnia non dantur, Deo extorquere nihil poſſumus, cui dat, ille habet, cuique celat, celatum eſt, ſi vel viliſſima res fuerit.

Purgantur imperfecta metalla à ſuo comburente & noxio Sulphure igne ſubitaneo Nitri, cujus ſupra apud Mercurium mentio facta quæ eſt omnium celerrima ac pæne momentanea metallorum melioratio habenda NB. Si præſertim illa abſque corroſivo in Sal ſolubile redigantur, cui rei Mars & Venus aptiſſimi, Philoſophicum exhibentes Vitriolum, quod commodiſſime ad perfectionem purificari poteſt.

Magnum ſubeſt ſecretum, ac fortaſſe majus, quam quod particulare opus habeatur. Fabula poëtarum, de Venere filioque Cupidine perpendatur, qualis ibi Cupido intelligatur, annon Aurum ſit.

Poſſem quidem plures bonos ex vilioribus metallis Auri & Argenti producendi modos adducere, ſed quia in VII. regularum explicatione ſatis dictum, hic ceſſandum videtur, iſta qui nec capit nec capere valet, ei plura quoque non profuerint. Si fundamenta ſaltem deteguntur, quivis inſtitutum ſuoſque labores convenienter adminiſtrabit. Mantiſſæ tamen loco jucundiſſimum opus parabolice ſuperaddam, baſin atque fundamentum totius Alchymiæ, quo radicalis metallorum Solutio, Conjunctio, Deſtillatio, Sublimatio, Aſcenſio, Deſcenſio, Cohobutio, Cimentatio, Calcinatio, Inceratio, & Fixatio comprehenduntur, tranſmutationiſque finem imponam.

Homo erat, (♄) qui duos habebat filios (Biſmuthum & ♃) junior (♃) dicebat patri (♄) da mihi portionem meam (NB. Biſmuthum & ♃ tam à Philoſophis, quam ab antiquis metallurgis ſemper Plumbum ſunt habita, iſtud Plumbum Cinereum, illud (♃) Plumbum Candidum, hoc Plumbum Nigrum vocitantibus,) contumacem & immorigerum ſe exhibenti i. e. adſcendenti, dat pater ipſe cum illa peregre abit. NB. Cum ♃ & Biſmuthum cum ♄ ignem experiuntur, ſeparatur ♃ à ♄ & Biſmutho, aſcendens aliquid de ♄ ſecum aufert & ſcoria con-

contumax evadit, quod eſt peregris cedere. Diverſorium intrat ubi ♂ hoſpes, ♀ hoſpita ſignum mundi ♉ in tabula penſili habebat, qui iſtum exceptum cunctis bonis paternis exuebant (*Solutio.*) Tanta gliſcit annonæ caritas, (*Siccitas*) ut homines præ fame toti etiam deformarentur (*Corruptio*) cui arcendæ porcos curare i. e. (cum fætido Nitro degere) ſiliquiſque (Tartaro) veſci cogitur. (*Inceratio*, *Imbibitio.*) quo ille humiliatus (Digeſtio, Circulatio, Ablutio, Edulcoratio, Purificatio) revertitur ad patrem (Incorporatio) qui cum gaudio eum excipit (Ingreſſus) tanquam filium perditum (Aliquid Nihil, & Nihil iterum Aliquid factum) promit veſtem novam (argenteam) digito indit annulum aureum (argentum deauratum) poſtea conſtans manet apud patrem, bonus & frugi œconomus i. e. fixum metallum.

Quod hanc imperfectorum corporum præcipuè ſtanni tranſmutationem parabolæ de filio perdito comparo, nemo vertat vitio, facilioris cognitionis ergo feci, magnum ſubeſt arcanum; in univerſis laboribus nunquam ſimiles mutationes notavi. Primo enim in Solutione apparet Nigredo ſuum tempus permanens, ſequitur Cauda pavonis, viriditas, tandem Albedo: an vero ſi diutius in Digeſtione detineatur rubedo ſucceſſura ſit incertus ſum, qui nunquam ultra albedinem pervenerim. Iucundiſſimus eſt labor, artificis animum inſigniter exhilarans, paucorum ſumtuum, exiguæ difficultatis, ſi pondus invenias & bona vaſa. Viam commonſtrat, foreſque

ad altiora ſecreta pandit: felix qui rem aſſequitur, nec viſu nec admiratione ſatiabitur, quam dives, generoſa, pulchra & glorioſa in ſuis receſſibus ſit Natura.

NB. Simili modo unumquodque metallum ſeorſim cum Plumbo ſalibuſque lavatur, ut exaltatum in ſeparatione Aurum & Argentum fundat, omneſque colores percurrit, ſed non tam commode, ac ſi omnibus ſimul conjunctis, alterum in alterum ſpiritualiter agit, mutat & perficit.

Cum abunde ſit oſtenſum, quo modo ex imperfectis metallis Aurum & Argentum extrahendum, ex quo labore ut plurimum Aurum & Argentum junctim proveniunt, ſcitu quoque neceſſarium eſt, qua arte invicem ſeparanda, ut ſingula per ſe haberi poſſint, quod ſic fit: Si hæc mixtura plus Auri quam Argenti habet, commodiſſime per Antimonium funditur, cum Ferro in regulum præcipitatur, cum nitro lavatur (abtreiben) & purificatur: Quem laborem ex prioribus libris deſcriptum petas. NB. Si Nitrum in regulorum ſeparatione ſive purificatione aliquid de Auro & Argento prædetur attrahatque, nemo indigne ferat, oleum perditum exiſtimans, ſed dicti Paracelſi recordetur. Perditio ſive Corruptio bonum reddit perfectum. Scoriæ nitroſæ quibus reguli depurati ſunt, diligenter aſſervatæ figantur, tum fluxu forti reducantur & perditum filium multo elegantiorem recipis, quam ante perditionem fuerat, nihilque hic perdis, ſed potius lucraris. De

utili

146
utili quodam labore hic dicendi locus eſſet, ſi inſtituti ratio pateretur, ſapienti ſat dictum, ſtupidis nihil profuerit. Sin plus Argenti contineat, mixtura primum granuletur, cum Sulphure uſtuletur, cum vel ſine Antimonio ſolo, Plumbo & ſalibus præcipitetur, Aurum ex Argento in regulos ſeparando, deinde cum Nitro vel Plumbo lavetur (abgetrieben) & purificetur labore itidem expedito, Notandum, ſi præcipitatio cum Plumbo peragitur caput mortuum (halb-kopff) adhibeatur opus evidenter accelerans & meliorans.

NB. Si reguli ex maturatis vel fixatis metallis cuprei vel pallidi prodeunt, lotione (abtreiben) opus non eſt, ſufficit ſi granulati cum ſalibus & capite mortuo (halb-kopf) præcipitentur, omne Aurum & Argentum peculiaribus regulis prodibunt, Cuprum & Plumbum ſcoriæ fiunt, in furnis acutis (Stich-ofen) reducendæ, aliiſque uſibus ex artis præſcripto applicandæ.

Plura de Extractione (Seigeren) lavacro (Abtreiben) & ſeparatione metallorum coacervare, inconſultum judico, paſſim in libellis meis jam tractatis.

Hoc quoque non abs re foret, quo pacto metalla commodius ut plus & meliora metalla reddant, fundenda, pauperesque & aſperæ, mineræ, peculiaribus cimentis juvanda ſint explanare. Sunt enim mineræ prædatorii Sulphuris abundantes; quo metallum dum funditur in ſcorias combuſtum tantulum dat lucri, ut impenſis non æquipollens incultum manere cogatur. Quod

Sulphur, præcipue in mineris Cuprum & Plumbum ſingulari cimento, ſive gradatorio igne inverti & mutari poteſt, ut poſtea in fuſione non ſolum metallum non abſumat & in ſcorias mutet, ſed inſuper exaltet, ut in ſeparatione Aurum reddat, quod abſque iſtiuſmodi toſtione haudquaquam fieret. Nemo quomodo huic vel illi metallo ante vel in fuſione ſuccurrendum penitius veſtigat, quod craſſus ignis non eliquare valeat, (cogitant ſæpe operarii) frequentiſſime vero optima pars in ſcoriis remanet infructuoſa. Poſſibile eſt experto chymico Aurum & Argentum quod ſcoriæ abſcorpſerant tam fundendo, quam commodis menſtruis utiliter elicere, cujuſmodi laborem, ubi de ſilicum extractione egi innuimus, & pluribus cum de Felicitate occultiſque theſauris Germaniæ ſcribam, agemus, quod tempus lector patienter præſtoletur. Aliud metallurgis enaſceretur commodum, ſi rationem ſeparandi Argentum perſpectam haberent, aurumque in eo latens præcipitatione (nieder-ſchlagh) ſecernendi, ne cum Argento indigne ab artificibus abſumatur. Tempus vero futurum confido, quo nonnulli olim rejectas ſcorias degenereſque mineras ad Auri & Argenti extractionem ſub incudem revocabunt. Omnia Deus bene fecit, nec ſine cauſa has ſcientias tamdiu nos celavit. Et quia jam à multis ſeculis pii viri fore prædixerunt, ut ante mundi interitum omnia myſteria ſimul patentia hominibus innoteſcant, quod tempus magis appropinquat, non erit mirum, ſi Deus & Natura reve-

velationum initium fecerint, cui rei ubique ſtrenue præluditur, dum omnes artes ſcientiaſque indies tanta incrementa facere videmus, ut ſi majores noſtri, diligentiſſimi licet metallorum cultores, juniorum labores conſpicarentur, pro puerilibus ſua habere neceſſe habeant. Et ſi mundus diutius perſtabit, metalla brevi longe compendioſius utiliuſq; fundentur, lavabuntur, ab invicem ſeparabuntur (Seigern) tantumque boni ex inſcitia poſthac non abjicietur, cui rei ego meam opellam ſtrenue navabo illis quibus mea ſcripta difficilia videntur, pro meæ experientiæ modulo conſilio & re ſuccurrere, tritamque ſemitam commonſtrare paratus. Sed ut vulgo ultronea officia ingrata ſunt, metuendum ne idem mihi accidat: Homo enim perſæpe præ ſupercilio, quæ neſcit, diſcere recuſat, tantum ne tamdiu in ignorantia fuiſſe putetur. Quemadmodum, ſi in quadam regione maxima ſit annonæ penuria, in proxima vero ſumma ejuſdem cornucopia, ſed vaſtiſſima interjaceat ſolitudo, cujus via difficulter inveniatur. Offerat ſe nonnemo, cui à multis annis diuturno uſu via ſit notiſſima, iſtuc ituros aliquantula frumenti portione pro ſua moleſtia & interpellatione deducturus: inopes vero ſpreto officio ingenti labore, ſumtu, vitæque diſcrimine invium & intricatum iter inveſtigare malint, quam huic pauculum emolumentum impertiri. Nonne bis ſtolidi, auxilioque indigni ducentur? & ſi in avia delapſusve vitã perdat, quis ei condolebit, ſibi hoc mali pervicaciter accerſenti, cui facillime obviari

ari poterat. Sic & illi commiſeratione indigni ſunt, qui incertis rebus tanta impendunt, tot annos curis ſe macerant; quæ captum vireſque ſuperant aſſequi conantes, eoſque qui multo cum ſudore difficultates ſuperarunt, magiſtros ſpernentes, doceri turpe ducentes, ſibi ipſis nimis ſapientes. Ruſtico comparandi, qui capturus ſciurum, & mihi longa crura ſunt dicebat, de arbore vero in arborem ſalturus decidit, longis & ad ſaltum ineptis cruribus iſto caſu confractis. Similiter cogitet quis, quid mihi obſtabit, quo minus hanc hactenus incognitam Separatoriam (Seigerung) ſi quæram inveniam, cur alios ambiens ſectabor? Natura & Fortuna mihi non minus quam alii patet. Talis dictum Pauli non perpendit dicentis: *Non eſt currentis, neque volentis, ſed ſolius Dei miſerentis.* Quod nec gentiles Philoſophos latuit, conſueto proverbio jactantes, *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Quo innuunt, non cuivis quamvis ſolicite quærenti ardua invenire conceſſum eſſe. Solus Deus novit cur hujus in hac, alterius in alia arte labores felici ſucceſſu ſecundet: hominum enim naturæ non minus quam beſtiarum inter ſe diſcrepant: omnia quidem quadrupedia in arida ambulant, & in aquis natare poſſunt, alterum tamen alteri currendo natandoque longe pręcellit. Apud pueros idem obtinet, in eadem domo educati ſcholave inſtituti, eruditione impares ſunt, magno ſæpe diſcrimine. Quis alteri dicet, cur rudis manes, qui ejuſdem cum aliis inſtitutionis fuiſti particeps, à quibus multum ſuperaris: non enim

ſem-

ſemper pueri culpa eſt, quod nihil capit, ſed ad ſtudia ineptæ naturæ. Omnia bona dona, inquit Apoſtolus, ſuperne deſcendunt. Philoſophi, Sidera ſuperiora talia in homine operari eiq; infundere, ajunt: & ſi quem Deus peculiaribus excellentibuſq; donis præ aliis illuminat Philoſophiam adeptam appellitant, non ab Academiis tegulis obtectis petendam, ſed supernè ab omnis boni datore gratis dandam. Spiritus S. verus eſt Doctor qui nos in omnem veritatem deducere, petentibuſq; & quęrentibus magna arcana revelare conſuevit. Unde Paracelſo ingens illud lumen, quod in Philoſophia, Medicina, Alchymia præ aliis habuit? Hauddubiè cœlitus à Patre Luminum & Veritatis, qui etiamnũ per unum vel alterum cui id largitur, ſuam omnipotentiam mundo patefacere non deſiſtit. Stultè ergo nonnulli ſentiunt nihil perfectius dari poſſe, quam quod jam eſt, perinde ac ſi Deus manibus occluſis ſtolidorum dementiæ rationem habere teneretur. Si Deum probe noſſemus, Natura nobis incognita non eſſet, qui vero Deum, natura potiorem cognoſcenti ipſa incognita erit? Sed quia homo innata infirmitate ſemper tenebras amat, & lucem odit nemo miretur quod jugiter in tenebris palpantes à recta via aberremus. Quamplurima Deus arcana in Natura repoſita habet, etiamnum nobis abſcondita, ſed olim manifeſtanda. Quis dicere audebit, longum eſt, quis iſtuc perveniet? nemo. Deum ergo præſentem in mundo abominationem diutius laturum nemo ſibi perſuadeat. Dies præteriit, nox impiorum pænis initium factura

ctura ingruit. Bene iſtis qui cum injuſto Mammona amicos ſibi parantes in Dei honorem & gloriam naturæ miracula ex tenebris eruta in lucem ſiſtere ſtudentes voluntati Dei obſecundant, Væ vero iſtis quibus Mammon Deus eſt, quo Dei gloriam naturæque mirabilia opprimere vel offuſcare conantur. Sicut ergo Deus opes largitur danda eſt opera, ut eas bene collocet, ne corpori animoque olim ſint exitio. Hiſce ego hanc Appendicem Operiſve Mineralis Mantiſſam concludo, quæ bono animo in proximi gratiam protuli, ut ſerena fronte accepta in Dei gloriam impendantur. Ad quod cuivis probo gnavoque rerum metallicarum ſcrutatori divinam benedictionem toto corde comprecor. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google